B67-5499
R
24
(7 572)

GESANDTSCHAFT

KÖNIG FERDINANDS I.

AN

SULTAN SULEIMAN I.

1534.

II, 2.

URKUNDEN UND ACTENSTÜCKE

ZUR

GESCHICHTE DER VERHÄLTNISSE

ZWISCHEN

ÖSTERREICH, UNGERN UND DER PFORTE

IM

XVI. UND XVII. JAHRHUNDERTE.

AUS ARCHIVEN UND BIBLIOTHEKEN.

GESANDTSCHAFT KÖNIG FERDINANDS I. AN SULTAN SULEIMAN I.

1534.

WIEN.

IN COMMISSION BEI SCHAUMBURG UND COMP.

GEDRUCKT BEI A. STRAUSS'S SEL. WITWE.

1839.

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Brigham Young University

http://www.archive.org/details/urkundenundacten004gv

Vorwort.

Die hier mitgetheilten Actenstücke sind sämmtlich Beiträge zur Geschichte der noch von keinem Historiker erwähnten siebenten Gesandtschaft König Ferdinands I. an Sultan Suleiman I.

Sollten sie freundlich aufgenommen und für die Wissenschaft benützt werden, so ist meine Mühe am schönsten belohnt und meine Absicht vollkommen erreicht.

Wien, den 16. April 1839.

Anton von Gévay,
Scriptor an der k. k. Hofbibliothek.

INSTRUCTION

KAISER KARLS V.

FÜR

CORNELIUS DUPLICIUS SCHEPPER.

MONZON, 24. DECEMBER 1533.

Aus Schepper's eigenhändig geschriebener und mit Anmerkungen versehener Übersetzung des in französischer Sprache ausgestellt gewesenen Originals im k. k. geheimen Haus- Hof- und Staats-Archive.

Instructio pro te Cornelio Sceppero Consiliario regis Rhomanorum Hungarię Bohemię etc. archiduce Austrię duce Burgundię, domino et charissimo nostro fratre, de eo quod faciendum tractandum et procurandum est tibi in itinere tuo et commissione, tam apud prefatum dominum regem fratrem nostrum quam apud Thurcam quo pro presenti te mittimus.

Principio Tu ibis per postas recto itinere ad prefatum dominum fratrem nostrum. Cui dabis literas nostras, et sequendo illas, ipsi dices, quod intellecto ex relatione tua, negocio per te et per Hieronymum de Zara transacto apud Thurcam inquantum attinet ad pacem inter prefatum dominum regem et Thurcam, et sermones habitos per eumdem Thurcam, et tam in ipsius presentia quam absentia per Imbrahimum Bassam. Et per Aloisium Griti, qualiter videlicet Thurca inclinatus est et desiderat facere pacem nobiscum. Et de aduentu prefati Griti ad predictum dominum regem ad intendendum tractatui inter dominum fratrem nostrum predictum et Vayuodam. Et quod ipse habiturus est potestatem a Thurca ad tractandum prefatam pacem inter nos et Thurcam casu quo ad illam vellemus intendere; Habuimus desuper et super informationibus quas nobis fecisti de rebus Constantinopolitanis, et super qualitate status in quo inueniuntur negocia prefati Thurcę, simul cum literis receptis ab eodem Turca et Imbrahimo Bassa, consultationem super importantia negocii Et finaliter sumus determinati in id quod sequitur.

Videlicet tractare abstinentiam belli et pacem etiam respectiue cum prefato Thurca tam nostro nomine quam Christianitatis; secundum et cum qualitatibus, conditionibus et per media contenta in articulis et informationibus super id factis quę tibi dabuntur vt portentur ad prefatum fratrem nostrum, cum literis quas desuper illi scripsimus.

Et quod si prefatus Griti iam aduenerit, desideramus quod quanto citius fieri poterit, prefatus frater noster intendat et conetur quanto melius poterit ad intelligendum mandatum commissionis, siue potestatem tractandi

quam idem Griti potest in hoc habere à prefato Thurca, et secundum hoc procedat frater noster, et faciat tractari cum prefato Griti, videlicet super abstinentia belli et pace; siue prefatus frater noster per semet tractare velit nostro nomine, et virtute mandati expediti in personam ipsius solius, aut per eos qui sunt denominati in alio mandato. Quę quidem mandata duo tibi dabuntur vt ea des prefato regi fratri nostro, vt vno aut altero vtatur pro arbitrio suo, et habito respectu ad considerationes, super eo puncto contentas in prefatis articulis.

Dices etiam ipsi prout similiter continent literę nostrę et articuli qualiter attentis terminis in quibus inueniuntur negocia prefati Thurcę tam inquantum attinet ad Sophy, per quod in hac coniunctura, ipse posset esse magis inclinatus ad tractandum nobiscum, Et ab altera parte attenta consideratione et sentimento quod fortassis habere potest propter suppetias illatas Coroni, propter quod ipse posset aliquid intentare de nouo contra prefatam Coronem, Et quod si apparasset suas vires ad id, nimis tardum esset vel magis difficile, peruenire ad prefatum tractatum, Et precipue si (prout verendum est) ipse componeret pacem cum prefato Sophy, adiunctis etiam propositis habitis in conuentu Massiliensi, et verbis habitis per regem Francię testificatis per papam, iste tractatus posset impediri per prefatum regem Francię, et alios potentatus Christianitatis. Et propterea est magis quam necessarium ad intendendum statim prefato tractatui, si modo medium inueniri potest, Et ad minus primo loco tractandum est de prefata abstinentia belli, qua durante pax fieri comprobari ratificari et stabiliri poterit, secundum et per media et conditiones mentionatas in prefatis articulis.

Et signanter quod prefatus dominus Rex, sit per medium prefatę abstinentię belli aut induciarum, vel occasione ipsius, vel aliter quomodocumque sit, videat confestim si haberi possit medium qualecumque, quo cito deduci ad effectum possit, vt queat profectum suum de Corone facere, siue id fiat vt negocia ipsius Hungarica meliorentur, reddatur Turca magis inclinatus ad prefatam pacem inducias vel abstinentiam belli, vel ad assecurandum de Barbarossa, siue aliter quomodocumque sit, quando etiam finaliter ipse deberet eam restituere plene sine conditione vel vtilitate qualicumque, siue faciendo de ea oblationem Imbrahimo Bassę, siue aliter, Cum condicione solum quod incolę et habitatores prefatę Coronis sint assecurati de non recipiendo damno à Turcis ratione occupationis prefatę Coronis, et quia tenuerint partes nostras, Et quod nostri milites qui sunt in prefata Corone possint redire secure et salue.

Bene intellecto quod scripsimus ad Machicault capitaneum nostrum in prefata Corone, vt det operam, ad sustinendum prefatum locum vsque ad medium Martii proximi, solum et non longius prout prefatus frater videre poterit ex copiis literarum quas scripsimus prefato capitaneo Et Viceregi nostro Sicilię, inquantum non habeant bonam commoditatem, et possint id facere diutius ad aliquot dies, videlicet vsque ad finem prefati mensis Martii, Non tamen se mittendo in periculum expectandi obsidionem, vel recipiendi impedimentum ex parte Thurcarum quominus redire possent. Propterea quod si diutius expectarent, et Turca ipsis vim inferre vellet, non videmus qualiter possimus prouidere ipsis de succursu. Et esset maius inconueniens, et contra reputationem: immo manifestum periculum et irremedibile, perdere prefatos milites.

Quod etiam Considerato eo quod supra scribimus prefato capitaneo quod si prefatus dominus Rex mittat aliquem ex parte sua cum suis literis et nostris quas propter id tu portas, vt ipsum recipiat in prefato loco, et secundum quod requiretur per eum qui illuc ibit, remittat prefatum locum in ipsius manus, ad faciendum de eo id quod prefatus dominus rex desuper ordinauerit. Visum est enim quod restitutio prefatę Coronis melius sit quod fiat ex parte prefati domini regis, vt inde bonam gratiam reportet. Et etiam vt nos excusemur, ab ea vlterius sustinenda, cum impensis insupportabilibus et periculo predicto. Ex quo iampridem a tempore conuentus Alexandrini concluserimus eam remittere ad prefatum dominum regem. Id quod sanctissimus dominus noster approbauit.

Preterea dices fratri nostro predicto qualiter aduisauerimus, quod siue prefatus Griti iam aduenerit ad prefatum dominum regem, siue ipsius aduentus habeatur pro certissimo, quod nihilominus est necessarium tam propter id quod concernit fratrem nostrum, quam etiam quia dilatio prefatę abstinentię belli, et pacis, posset efficere rupturam practicę ipsius, vt tu te conferas ad Thurcam cum omni bona diligentia, et non te detinendo apud fratrem nostrum, vt possis esse aliquot mensibus apud prefatum Thurcam vt orator prefati regis fratris nostri, et pro tempore quod tibi videbitur bonum. Ex quo prefatus Turca in id consensit. Ad finem quod si Griti iam aduenisset, secundum inclinationem quę inuenta erit in eo, et terminis quos tenebit, tu continues ea prosequi quę videbis esse conuenientia et conducentia ad perueniendum ad prefatam abstinentiam belli, et tractatum pacis. Et si fortasse prefatus Griti adhuc non peruenisset, sollicites aduentum ipsius ad regem predictum,

Tam occasione bonę voluntatis, quam dicere potes prefato Thurcę et predicto Imbrahimo Bassę te inuenisse in nobis ad intendendum in prefatam pacem, quam alias, secundum quod videris posse conducere, ciuiliter et seruata reputatione et honestate.

Et signanter Ad, Occasione aduentus prefati Griti, et declarationis quam facies de nostra intentione, talis vt supra ad prefatam pacem: tractandum prefatam abstinentiam belli, secundum quod inuenturus es exigentiam et necessitatem conformem ad prefatos articulos, quorum tibi dabitur copia, vel pro tota estate futura proxime, vel alio tali breui tempore quod videbitur tibi, ad impediendum regressum Thurcę in Christianitatem in anno sequenti. Tractando de prefata Corone casu quo adhuc transactum non esset cum prefato Griti, taliter vt simus et maneamus ab ea liberi, secundum et propter considerationes predictas, et euitentur inconuenientia quę exinde aduenire posset; vt de re quę pati non potest dilationem.

Etiam habendo respectum quod in omni casu; residentia tua apud prefatum Thurcam, poterit multum conferre, siue prefatus Griti iam discesserit, siue non, et quomodocumque esset quod videretur apparentia ad tractandum. Vel etiam si in eo inueniretur difficultas, ad eos discutiendum, remonstrandum et prosequendum secundum tempus et exigentiam prout conueniet et opus erit, Et ad impediendum et postergandum omnes contrarios conatus et excusandum id quod erit excusandum ad bonum effectum prefati tractatus, et ad euitandum in omni casu aduentum prefati Thurcę et nos aduisandum de sua intentione, et de eo quod poteris videre et intelligere de ipsa, et si facturus est aliquos apparatus belli et quales, ad conducendum se secundum id.

Et finaliter vt si forte aduentus prefati Griti versus fratrem nostrum esset annichilatus, et non posses obtinere aduentum ipsius ad fratrem nostrum cum commissione tractandi pacem apud eum, quam volumus quod tu sollicites tantum quantum erit possibile vt rem quę importat ad reputationem, et etiam quod posset conuenientius tractari conditionari et modificari prefatus tractatus cum prefato Griti, quam cum prefato Thurca, prout tu scis vsum esse in pace inter fratrem nostrum et prefatum Thurcam, Tu in tali casu, et deficiente totaliter prefato medio, poteris intendere ad tractandum de prefata abstinentia belli, et etiam de pace conformiter ad articulos transmissos, in virtute vnius aut alterius ex mandatis quę propterea tibi dabuntur, quę tamen tenebis secreta, nisi cum necessitas exegerit, tam pro prefata abstinentia belli interim quod tractabitur apud fratrem nostrum, quam pro pace, casu

quo non posset obtineri aduentus prefati Griti et tractatus per eum apud fratrem nostrum.

Tu prospicies ad coniuncturas, prout melius ad propositum venire poterit, ad dicendum Thurcę et Imbrahimo Bassę, quod nos pro grato ab ipsis habuimus, Respectiue propter honestatem et bonam voluntatem qua vsi sunt erga sororem nostram Reginam viduam Hungarię. Et quod est res bene conueniens magnitudini et magnanimitati talis principis qualis ipse Thurca est, consyderate statum et qualitatem prefatę nostrę sororis. Poteris etiam illi agere gratias nostro nomine propter bonam voluntatem quam demonstrauit erga fratrem nostrum, et ab eo requirere vt ipsum velit habere commendatum ad recuperationem totius regni Hungarię. Idipsum nihilominus quod ad fratrem nostrum attinet, postquam tractatus prefatę pacis, vel ad minus abstinentię belli iam erit in bonis terminis; ad non demonstrandum plus affectionis in isto, quam ad tractandum in generali cum prefato Thurca.

Tu tenebis propositum apud prefatum Gritum virtute literarum nostrarum credentialium quas ad ipsum scribimus per te, super negociis et rebus predictis, et super his quę cum consilio fratris nostri inuenies conuenire siue ipsum inuenias apud fratrem nostrum siue illi fias obuius in itinere, vel etiam si adhuc esset apud Thurcam.

Habendo tamen respectum, ad non dicendum vel leuiter demonstrandum credere aliquid quod sit contra prefatum Thurcam Imbrahimum Bassam, et minus de Sanctissimo domino nostro, aut aliis principibus et potentatibus Christianis, sine valde bono fundamento, et tali modo quod tu preberes plus suspitionis, et poneres negocia ad maius periculum aut difficultatem. Immo in hoc ipso prudenter te geres et cum omni bona discretione, vt intelligere possis omne id quod conuenienter poteris, non te ligando aut obligando ad vlterius, quam ad nos certiores reddendum de eo quod erit vltra et supra prefatam commissionem tuam.

Non faciendo dubium quin secundum tuam solitam diligentiam et dexteritatem, habiturus sis curam et sollicitudinem, ad inquirendum et informandum te, de omnibus rebus quę poterunt conducere ad bonum reipublicę Christianę et ad seruitium nostrum, et precipue de practicis et intelligentiis quas principes et potentatus Christiani habet in ea parte tam Catholici quam Lutherani et alii deuii à fide, et ad recuperandum scripturas si est possibile et quanto plus probationum desuper, poteris.

Etiam quia quemadmodum nobis dixisti, et prius etiam ab aliis intelle-

ximus, quod quidam conati sunt malam opinionem de nobis, apud Thurcam imprimere, pro quanto spectat ad bella transacta, et inter alia inquantum attinet ad capturam et detentionem prefati regis Francię, et quod ipse fuerit à nobis male tractatus, Intendimus quod tu queras occasionem opportunitatem et medium vt des intelligere prefato Thurcę, Imbrahimo Bassę et aliis omnibus in ea parte, secundum quod opportunitas esse poterit, vęritatem illius quod est transactum, et honestatem qua in omnibus et per omnia vsi sumus erga prefatum regem Francię, quemadmodum tu desuper es bene informatus, et bene scis, et similiter quantum attinet ad prefatum Sanctissimum dominum nostrum et ipsius captionem, et vrbis Rhomę, ad abolendam illam malam existimationem et reputationem, in quam quidam pretendunt nos ponere per sinistras et contrarias informationes, contra reputationem, male somniatam, dignitatis et loci quem tenemus in Christianitate, et ex vnde non potest ipsa Christianitas nisi damnum recipere.

Habebis etiam respectum vt in rebus quę concernunt prefatum fratrem nostrum et nous, obserues quanto magis poteris, reputationes nostras. Habendo respectum quod illud non debet impedire, substantiale illius quod illic tractabitur. Immo citius patiendo aliquid contra reputationem, minus esset ad propositum bonę directionis negociorum commissionis tuę, et minus estimatum per prefatum Thurcam tractare tecum, et idipsum bene obseruare.

Dabis operam (si est possibile) certiorem reddere, et quamprimum potes erit melius, capitaneum nostrum Machicault, Et illum qui ibit ex parte prefati domini regis ad predictam Coron, de his quę inuenies et intelliges in ea parte. Et non omittes quin per omnia media et vias possibiles, per quas poteris nos certiores reddere, et prefatum Serenissimum regem fratrem nostrum, de omnibus occurrentibus, ab vno tempore ad aliud.

Si forte prefatus Thurca aut Imbrahimus Bassa faceret mentionem de muneribus ex parte nostra, Tu excusabis; quia non es illuc missus, principaliter ex parte nostra, sed quemadmodum dictum est, vt orator prefati Serenissimi regis. Cum omnibus aliis excusationibus quas prefatus Serenissimus Rex ex parte sua excogitare poterit casu quo opus esset./ Actum Monsonii xxiiij° die Decembris xv^c xxxiij°. Subscriptum ita Charles. Et inferius Per ordinem suę Maiestatis A. Perrenin.

Media, puncti, conditiones, et modificationes, secundum quę et cum quibus (et non aliter) Imperator audita relatione Cornelii Scepperi, et visis literis ad Maiestatem suam scriptis per Thurcam, per Imbrahimum Bassam, et Aloisium Gryti, determinatus est tractare inducias, abstinentiam belli, vel pacem cum prefato Thurca, sunt sequentia.

Primo quod persistetur et teneatur manus, quod intendatur ad eundem Tractatum apud Regem Rhomanorum per medium pręfati Aloisii Gritti, secundum quod fuit propositum, quod id est commodius et magis conueniens reputationi Maiestatis ipsius Imperialis et prefati domini regis. Consyderata etiam bona voluntate quam prefatus Gryti ad idipsum demonstrat, et ad finem, vt tanto melius possit certitudinaliter, distincte, et secure, firmari id quod conueniet ad prefatum tractatum, prout consequenter est specificatum.

Quod ad hunc finem expediuntur duo mandata, vnum in prefatum dominum Regem, et alterum ad Archiepiscopum Lundensem et prefatum Cornelium et vnumquemque ipsorum, ad intendendum ex parte prefatę suę Maiestatis Imperialis, prefato tractatui, virtute vnius aut alterius ex mandatis predictis, ad arbitrium prefati domini regis, qui decernet melius conueniens. Tametsi videri possit tantum conducere, quod intendi ad id faceret per predictos Archiepiscopum et Cornelium. Ex quo prefatus Grity non est ęqualis prefato domino regi. Et vt, si forte ex parte prefati Thurcę persisteretur ad rem non factibilem, et hoc modo vel alio idem tractatus non posset sisti, et sortiri effectum, prefatus Thurca posset capere aliquod sentimentum contra prefatum dominum regem; vnde particularia ipsius negocia, non possent melius valere. Et quod in omnibus et per omnia prefati Archiepiscopus et Cornelius, et vnusquisque ipsorum, sequentur opinionem prefati domini Regis Conformiter ad presentes articulos. Et in casu bonę resolutionis prefatus dominus Rex poterit, passare prefatum tractatum, in virtute alterius ex mandatis predictis si bonum sibi videbitur. Aut si non, prefati Archiepiscopus et

Cornelius declarent nihil se posse tractare sine opinione, ordinatione superintendentia et bono placito prefati domini Regis Tali modo vt si res succedat bene, ipse reportet gratiam, Et si aliter, ipse sit excusabilis.

Preterea quod tractando habeatur respectus, quod iam tempus est valde promotum et proximum si prefatus Thurca vellet redire ad inuadendam Christianitatem primo vere, secundum aduertentiam quam desuper habuerunt Hieronymus de Zara et dictus Cornelius. Et intellexit etiam Maiestas sua Imperialis aliunde, cum practicis de quibus Cornelius prefatus faciet certiorem prefatum Regem, quę prout supponitur non deficient. Et quod Maiestas sua non potest manere in suspenso quantum ad hoc, sub colore, et interim quod intendetur ad prefatum tractatum. Et ob id erit bonum et maxime necessarium scire quanto citius erit possibile commissionem prefati Louysii Griti, videre mandatum suum et assecurationem quę exinde capi poterit in iis quę cum ipso tractabuntur.

Quod si videatur mandatum Gryti sufficiens, et securitas ad tractandum cum eo, proponatur, ad intendendum primo loco, vt fiant inducię vel abstinentia belli, in spem perueniendi ad prefatam pacem, et in fauorem ipsius. Consyderato quod non bene potest conuenire (prout ipsemet Imbrahimus Bassa dixit ipsi Zara et Cornelio ad simile propositum) intendere ad tractandam prefatam pacem, et permanere in bello, et ad id facere apparatus, qui hoc intermedio possent tales esse, et tam promoti, quod exinde pax fieret difficilius, et forte totus tractatus integre infringi posset.

Quod prefatę inducię vel abstinentia belli sit pro vno anno, et concludatur et transigatur subito in primo loco et quanto citius fieri poterit, et obseruetur etiamsi non possit perueniri ad tractatum predictę pacis, si tamen esset quod ita cito non possit (sicut non est verisimile) tractare predictam pacem, et per eamdem se assecurare tam bene pro prefato termino vnius anni vel amplius, secundum, et cum mediis in sequentibus specificatis.

Quod si prefatę inducię, vel abstinencia belli fiat in fauorem et considerationem vt supra, ad tractandum de prefata pace, quod sit cum promissione, et assecuratione quod prefatus Thurca nihil intentabit bellare per se nec suos subiectos, officiales ministros Capitaneos et alios directe vel indirecte in Christianitate per mare nec per terram, durante prefato termino vnius anni, Et quod ex parte Maiestatis suę sit promissum, quod similiter non exercebit bellum contra prefatum Thurcam nec suas patrias et subiectos.

Et si persistatur quod prefata sua Maiestas assecuret prefatum Thurcam

durante prefato tempore pro sanctissimo domino nostro papa, et aliis principibus et potentatibus Christianis, Remonstrabitur quod quantum ad prefatum Sanctissimum dominum attinet, non sit apparentia quod pro prefato tempore neque in alio etiam, ipse possit exercere bellum contra Thurcam sine subsidio suę Maiestatis, prout etiam neque possent facere alii principes et potentatus Christiani Et quod prefatus Thurca potest manere satis securus pro prefato tempore vnius anni, promittente Maiestate sua non exercere bellum pro se, suis regnis patriis et subditis, Bene dando intelligere quod causa quare Maiestas sua prefata vult comprehendere totam Christianitatem in prefata Treuga, est, tanto melius et facilius posse inducere, prefatos sanctissimum dominum et alios principes et potentatus Christianitatis predictę, ad intrandum in eamdem pacem quę tractabitur, et ad eamdem confirmandum et approbandum. Et quod Maiestas sua, non videns adhuc aliquam certitudinem ad tractatum prefatę pacis, noluit diuulgare quod ad ipsam practicaret. Et difficile esset intelligere in tam pauco tempore voluntatem predictorum papę principum et potentatuum.

Quod quando venietur ad tractandum de eadem pace, fiat ipsa pax ex parte suę Maiestatis, tam ipsius nomine, quam pro, et in nomine sacri Rhomani Imperii, ipsius regnis, patriis et subditis, et pro omnibus Christianis, comprehendendo in ipsa prefatum Sanctissimum dominum papam, sanctam sedem apostolicam, omnes reges principes et potentatus Christianos, qui voluerint in eadem esse comprehensi, et daturi sunt literas comprehensionis intra vnum annum proximum, computando a primo die tractatus prefatę pacis factę conclusę et transactę.

Quod prefata pax sit ad vitam suę Maiestatis Imperialis et prefati Thurcę, cum conditione nihilominus, et mediante quod prefatus Sanctissimus papa ipsam velit approbare, et in ea comprehendi. Sine quo prefata sua Maiestas, ex debito Imperatoris Rhomani, et principis Catholici, et pro quanto debitor est legis et religionis Christianę, non inuenit quod sine scrupulo conscientię, ipse possit tractare de tali et tam longa pace. Et prefata Maiestas sua tenet ipsum Thurcam tam bonum obseruatorem fidei suę, quod non velit in rebus concernentibus ipsam, ex sua parte facere aliter, et accipiet hanc consyderationem in meliorem partem.

Etiam cum conditione quod prefata pace intratenta vt supra; consensus prefati Sanctissimi patris obseruetur inuiolabiliter, sit quod alii principes et potentatus Christiani, in eam velint intrare, aut non, et teneatur prefata pax quantum ad prefatum Sanctissimum patrem, suam Maiestatem, sacrum Imperium, regna patrias et subiectos patrimoniales suę Maiestatis, Et quantum ad

principes et potentatus qui daturi sunt suas literas comprehensionis et obseruabunt prefatam pacem: sine prestatione adiutorii sustentationis aut assistentię aliis principibus et potentatibus, De quibus parum debet Thurca curare; securus manens (sicut erit per prefatum tractatum) a sua Maiestate Imperiali, ipsius regnis patriis et subditis, et a rege prefato suo fratre qui sunt ipsius maxime propinqui vicini, et potentissimi totius Christianitatis, per mare et per terram. Et quod similiter prefatus Thurca promittat et assecuret ex sua parte, simile, quantum ad ipsum ad omnia sua regna, patrias et subditos, quicumque et quorumcumque erunt, pro tota Christianitate. Et obseruetur si omnes predicti potentatus ipsius ipsam velint obseruare. Et casu quo aliqui prefatorum potentatuum contradicerent, quod nihilominus prefatus Thurca, interteneat inuiolabiliter quantum ad suam Maiestatem et alios principes et potentatus comprehensos, et eos qui daturi sunt prefatas suas literas comprehensionis in eadem pace, et ad attinentiam vniuscuiusque ipsorum respectiue, et bona fide.

Quod prefata sua Maiestas Imperialis et prefatus Thurca, possint et vnusquisque ipsorum recedere a predicta pace, presignificando idipsum expresse, vno anno integro prius, et non aliter: computando prefatum annum a die declarationis factę, de modo, quod ipsa declaratio iam peruenerit ad certam noticiam illius ipsorum, contra quem talis recessio a pace, futura sit, et taliter quod non possit capere sufficientem allegationem ignorantię. Et vsque ad exspirationem prefati anni a predicta declaratione non possit ille qui se velit retrahere ab eadem pace, facere aliquem actum aut effectum qualemcumque belli et hostilitatis nec per mare nec per terram contra alterum. Qui tamen Recessus à pace, non poterit fieri intra tres annos primos et proximos continuos, computando a comprobatione et passatione prefati tractatus pacis. Casu nihilominus predicto, quo sanctissimus dominus noster, habeat acceptam gratam et approbatam prefatam pacem, sit quod alii principes et potentatus Christiani in ipsam velint intrare, aut non.

Nota. Gallice, a compter dois la laudicion et passation.

Et si quantum ad istam conditionem ponatur aliqua difficultas, ex parte prefati Thurcę, Remonstrabitur quod prefata sua Imperialis Maiestas non potest omittere, quin in hoc persistat, et se arrestet Tam in eo quod concernit prefatum Sanctissimum patrem, pro ratione prius dicta, quam ad finem melius et conuenientius inducendi alios principes et potentatus Christianos, ad prefatam pacem. Vel ad minus ad finem ne possint imputare suę prefatę Maiestati, tam illi qui sunt de Imperio Rhomano, quam alii, quod tractasset (prout etiam sua Maiestas facit) non illos prius certiores reddendo, Et preci-

pue, sese abstrahendo tam longo tempore. Contra debitum quod Maiestas sua habet ad prefatam Christianitatem et fidem Catholicam: et respectum, quem (secundum istas considerationes, et quia vnius est legis et fidei) ipse debet tenere erga prefatos principes et potentatus. Et significanter ad electores et alios principes et status Germanię, pro iuramento et debito quod habet ad prefatum sanctum Imperium. Et quia etiam, si aliqui prefatorum potentatuum vellent malignari contra reputationem suę Maiestatis, ipsi quererent qualitercumque esset, istam occasionem ad excusandum se ne intrarent in predictam pacem. Id quod non possent facere, permanente apud Maiestatem suam facultate retrahendi se ab ista pace sicut et per medium predictum adimeretur ipsis omnis occasio ne se possent excusare de eadem comprehensione, quam non poterunt detrectare, nisi iniuria. Et quia ex quo Maiestas sua hactenus vixit sine occasione qualicumque, alicuius reprehensionis, erga deum et totum mundum et significanter quantum ad eos, sicut est plene notorium, non vellet permittere ipsis in hoc medio, vt vocent illud honestum, et debitum principis Christianissimi et Catholici quod semper obseruauit in disputationem aut scrupulum qualemcumque.

Nota quod in Gallico legitur demeurant a sadicte maieste la faulte de se pouuoir retirer dicelle. Ego erratum puto et legendum demeurant a sadicte maieste la faculte, addiitione litere c. sic est verus sensus.

Quod casu quo prefata pax contineat assecurationem de non exercendo bello ab vna parte aut altera respectiue prout supra, Sua Maiestas intelligit quod non procedatur ad vlteriorem capitulationem particularem, sit contrectationis subditorum vnius partis aut alterius, aut donationis auxilii, alterius ad alterum. Id quod de per se esset res suspecta et dubia. Et quę posset ingenerare diuersa inconuenientia, dando videlicet viam mercibus prohibitis, et practicis quę possent exerceri; et explorationibus, negociorum necessariorum et rerum Christianitatis. Tanto plus habendo respectum, et attento quod prefati tractatus pacis, induciarum vel abstinentię belli sunt conditionati ad tam breue tempus.

Bene intelligit Maiestas sua quod fiat capitulatio, et assecuratio de prefato Thurca, tantum quantum erit possibile, quod se non interponet de negociis sanctę fidei qualitercumque sit, neque dabit auxilium fauorem supportationem nec assistentiam qualemcumque, directe aut indirecte, ipsis Lutheranis et aliis deuiantibus a fide.

Vt etiam se assecuret, inquantum erit conuenienter possibile quod prefatus Thurca non tenebit practicas qualescumque in prefata Christianitate durante prefato tempore, directe aut indirecte contra suam Maiestatem, neque ad impediendum quietudinem et tranquillitatem prefatę Christianitatis.

Preterea non erit omittendum quin persistatur, vt prefatus Thurca dimittat et abalienet in totum Barbarossam, vel ad minus promittat et assecuret quod nec ipse nec alii capitanei et pyratę Thurci quales quales sint, subditi et dependentes a potentia prefati Thurcę, non inferant bellum aut violentiam quamcumque, regnis terris et subditis Maiestatis suę Imperialis, sit id mari vel terra, Et quod faciendo contrarium, prefatus Thurca ipsum non supportet assistat aut faueat gentibus, nauibus, artilleria, munitionibus, pecuniis aut aliis rebus quibuscumque contra suam Maiestatem Imperialem, ipsius regna patrias et subditos, verum potius eum castigare, et facere reparare omnia damna et interesse, Ex quo (prout remonstrari poterit) pro certo teneri debet quod attenta potentia prefati Thurcę, et auctoritate quam habet in prefatum Barbarossam; ipsi erit facile, assentire in id quod supra. Et sperari debet ab ipso Thurca quod libentissime intendet preferendo secundum magnanimitatem suam, pacem et tractatum cum prefato domino Imperatore, qualicumque considerationi quam prefatus Thurca habere potest ad prefatum Barbarossam, propterea quod ipse Barbarossa est status et qualitatis talis qualis est, et viuens pyratice. Simile etiam istius debebit requiri quantum ad alios pyratas et Cursarios Mauros subiectos prefati Turchę, et se declarantes et fauorem capientes ab ipso, ab ipsius auxilio et potentia et suorum vt se assecuret, in hoc persistendo, tantum quantum erit possibile.

Nota aduouhant id est declarantes.

Et finaliter, potius quam rumpatur negocium, et ad extremum postquam nauata erit extrema diligentia quod attinet ad se assecurandum contra prefatum Barbarossam et alios pyratas et latrones marinos, quod cum hoc intendatur in tractatum prefatę pacis, abstinentię belli, et induciarum vt supra ad finem vt impediatur ne Turca adornet exercitum contra Christianitatem ad minus pro sequenti anno, sit virtute prefatarum induciarum, abstinentię belli, aut pacis, secundum, et cum mediis supradictis.

Si necessum erit tractare secretam aliquam intelligentiam, prefatus Serenissimus Rex dabit operam vt ad id intendatur quanto plus fieri poterit secundum commissionem quam desuper habiturus est Griti. Et secundum quod, ad id faciendum, fundamentum erit et occasio (debito conscientię et honestatis obseruato vt possit intendi, et aures possint preberi) poterit prefatus Serenissimus Rex accipere commissionem, certiorem reddendi Maiestatem suam, secundum quod videbit exigentiam negocii.

Quod prefatus dominus Rex det operam cum omni prudentia et dexteritate prout bene sciet facere, ad intelligendum omne id quod poterit quantum

ad practicas et intelligentias attinet quas prefatus Imbrahimus Bassa et Gryti se dixerunt prefatis Zara et Cornelio, habere cum aliquibus prefatorum principum et potentatuum Christianorum, tam Catholicorum, quam deuiatorum à sancta fide, et ad habendum desuper quanto plus poterit probationum et indiciorum. Et ad recuperandum titulos, literas et papiros quas habent desuper.

Quod prefatus dominus Rex et illi etiam qui tractabunt cum prefato Griti habeant bonum respectum de non condescendendo leuiter in rem aliquam quę possit allegari vel proponi contra prefatos principes et potentatus Christianos, sit in generali vel in particulari qualiscumque vel cuiuscumque qualitatis ea sit, et signanter, contra Venetos. De quibus prefatus Griti se demonstrat malé contentum, nec se inclinando ad practicas aut conatus contra eos aut aliquos ipsorum. Neque etiam si opus foret loqui de aliqua re concernente prefatum Thurcam aut predictum Imbrahimum Bassam, ad non se inuoluendum inconuenientibus quę satis possunt intelligi.

Nota de non allozer id est de non condescendendo.

Quod inter tractandum teneatur respectus qui conuenit authoritati et reputationi suę Maiestatis Imperialis, obseruando ad minus qualitatem ipsius discrete cum prefato Thurca, posteaquam idipsum non debet impedire prefatum tractatum, si adsit voluntas prefati Thurcę. Et si non: minime opus est vt Thurca minus cogitet de qualitatibus suę Maiestatis Imperialis quam de suis.

Quod primo loco, et sine dilatione prefatus dominus Rex laboret quantum ad Coronem, id quod viderit conuenire promotioni suorum negociorum et ad bonam directionem et fauorem rerum predictarum, secundum maxime requirentem necessitatem, et breuitatem temporis, conformiter ad determinationem quam sua Maiestas desuper accepit, et secundum id quod ipsa scribit Capitaneo existenti in pręfato Coron, et Viceregi Sicilię, et pręterea Comiti de Cyfuentes ad dicendum et declarandum id papę; vbicumque videbit considerationes necessarias quas sua Maiestas desuper habet et quę non possunt sufferre dilationem, cum eo quod intelliget ex prefato Cornelio, et commissione quam sua Maiestas illi dedit desuper. Et omne id quod prefatus dominus Rex circa id faciet etiam si deberet ipsam liberaliter restituere aut ipsi Thurcę aut dare eam muneris loco ipsi Imbrahimo Bassę, erit finaliter minus malum, quam eam diutius retinere, prout etiam Maiestas sua facere non intendit propter considerationes predictas, Et propter id quod prefatus dominus rex sciet ex Cornelio, et casu quo sit prouisum, tantum quantum poterit assecurationi habitantium in prefata Corone qui restabunt illic in paruo numero, prout con-

uenit rationi et honestati. Et in quo non est apparentia quod Thurca facturus sit difficultatem, Ex quo res sunt satis solitę fieri in negociis bellorum.

Quod prefatus dominus rex habeat bonum respectum si debeat innouare pacem quam habet cum prefato Thurca, per medium tractatus istius. Et quod melius videri potest vt ipse maneat in ea quę iam facta est attento precipue quod ista de qua est questio, importat plurimas considerationes, et alia non Et est cum scitu et consilio suę Maiestatis.

Quod prefatus Archiepiscopus Lundensis et Cornelius, et quilibet illorum qui intermittetur ad tractandam pacem per prefatum dominum regem cum prefato Griti, demonstret prefato Griti confidentiam in iis quę videbit fieri posse conformiter ad puncta et articulos istius instructionis, et obseruata substancia ipsius. Secundum quod Griti declarauit se bonam voluntatem habere, procedendo plene et realiter cum omni demonstratione bonę fidei, quam prefatus Griti demonstrauit se desiderare et prout mos ipsius est in rebus quas tractat, complacendo illi, et deferendo, obseruata tamen honestate, et eo ipso quod conuenit ad reputationem et intentionem suę Maiestatis superius declarato.

Quod prefatus dominus rex expediat quanto citius Cornelium vt se conferat ad prefatum Thurcam, secundum et in ea qualitate cuius mentio in fine instructionis ipsius facta est. Quam instructionem ipse ostendet prefato domino regi, et dimittet illi ipsius copiam ad correspondendum semper secundum eam. Et quod inquantum ad profectionem Cornelii ad Thurcam attinet non sit defectus pro consyderationibus contentis in ipsius instructione, et secundum id quod ipsi fuit dictum et commissum per suam Maiestatem, casu quo prefatus Griti iam aduenerit, aut non aduenerit. Erga quem si forte eum inuenerit in itinere vel apud prefatum Thurcam, sese geret secundum quod videbitur prefato domino regi, et conformiter ad instructionem suam predictam.

Et quia forte prefatus Cornelius non inuenturus est in itinere Gritum; alię literę scriptę sunt pro sua Maiestate ad prefatum Griti credentiales in personam Archiepiscopi Lundensis et Cornelii et cuiuslibet ipsorum. Quas prefatus Cornelius dimittet apud prefatum dominum regem ad conformiter ad ipsas quę sunt in credentia, dicendum: id quod videbitur conuenire bonę directioni rerum contentarum in presentibus articulis. Quos Maiestas sua vult esse obseruatos, et secundum eos vult quod tractetur et non aliter. Actum Monsonii die vicesima quarta Decembris xv^{c} xxxiij^{o}. Subscriptum ita Charles. Et subtus Ex ordinatione Maiestatis suę A. Perrenin.

INSTRUCTION

KÖNIG FERDINANDS I.

FÜR

HIERONYMUS VON ZARA

UND

CORNELIUS DUPLICIUS SCHEPPER.

PRAG, 11. FEBRUAR 1534.

Aus dem von Johann May, Propste von Zwetl und königlichem Secretär, abgefassten und eigenhändig niedergeschriebenen Concepte mit der Aufschrift: Cornelius, *im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.*

Ferdinandus etc.

Instructio de ijs quę Spectabiles fideles nobis dilecti Hieronymus de Sara Capitaneus noster in Sancto Vito terrę Fluminis nemorumque nostrorum in Istria Foro Iulio et Carsia prępfectus ac Cornelius Dupplicius Sceperus nostri Consiliarij et Oratores apud Serenissimum et potentissimum principem Dominum Soleymannum Imperatorem Turcorum Asie et Gretię etc. patrem nostrum charissimum nostro nomine agere et tractare debent

Inprimis post exhibitionem literarum nostrarum Credentialium Magnitudini suę precabuntur Salutem corporis et animę atque illi offerent continuum filialis obseruantię nostrę incrementum.

Deinde referent illi, Quod cum in nouissima pacis tractatione per Oratores nostros ad Magnitudinem suam destinatos cum Illustri et excellenti viro Ibraimo Bassa etc. Supremo Magnitudinis suę Consiliario etc. inter cetera tractatum fuerit, vt de pace inter Sacram Cesaream et Catholicam Maiestatem etc. fratrem et dominum nostrum charissimum et Magnitudinem suam ineunda et contrahenda certitudo haberetur, et occasione Coronę aliqua bona concordia inter eos fieret pro bono et commodo nostro ac regni nostri Hungarię securitate maiori atque ex ea mente et intentione qua puram et bonam pacem et amicitiam cum Magnitudine sua acceptauimus nos ad hoc obtulerimus, vt reliquos etiam Christianos Principes et Potentatus et potissimum prślibatam Maiestatem Cesaream ad eandem adducere et sub illa includi curare et operari velimus, nos ideo cum eadem Maiestate sua Cesarea et Catholica per spetialem Oratorem nostrum ob id ad eam missum omni qua potuimus opera et diligentia super ijs egisse et tractasse, eiusque animum taliter dispositum inuenisse, vt eandem pacem inter Maiestatem suam Cesaream et Catholicam ipsumque Turcorum Imperatorem sequi et fieri posse non dubitemus, Eamque ob causam nos ad hoc rationabiliter adductos omittere non potuisse, quin propterea Oratores nostros quam celerrime ad eam mitteremus, Nec eo quidem attento, quod Magnitudo sua vigore prioris recessus siue responsi eisdem Oratoribus nostris dati et ad nos relati missura sit Illustrem et excellen-

tem Aloisium Gritti etc. pro confirmanda et stabilienda pace perpetua inter nos et Magnitudinem suam inita et pro componendis rebus inter nos et Iohannem Scepusiensem ratione regni nostri Hungarie vigentibus, quamuis hanc quoque compositionem adhuc expectemus, et iuxta verbum Magnitudinis suę secuturam esse non ambigamus, Quod principaliter ob id factum esse dicent Oratores, ne forte Magnitudo sua se cum viribus suis et potentia quam habere aut colligere videtur prepararet, et ad nouam Coronę obsidionem tenderet seque in expensas et sumptus non modicos daret, quos potius ab eo intermitti et euitari voluerimus quam sic proijci et profundi, Cum (vt diximus) proni simus et cupidi pacem semel factam firmiter obseruare, nosque illis quę illius occasione iuste et honeste ac licite facere possumus et debemus, conformare, ceteraque forte quę sequi potuissent incommoda ex filiali nostro in Magnitudinem suam studio cauere, Quę si a Magnitudine sua pro prudentia sua consyderabuntur, et tractatus istius nostri merita ratio habebitur (vti haud dubie fiet) nihil addubitamus illam manifeste cognituram et quasi palpaturam esse, quid boni per nos in ijs procuratum et in rem ac euidentem Magnitudinis suę vtilitatem fuerit tractatum, Nobis quidem sub spe fiduciaque certa pollicentes, Magnitudinem suam totum id quod nostra diligentia et opera circa premissa confectum esse videbitur, bono nimirum animo accepturam seque ad cetera regni nostri Hungarię negotia eo magis ac melius accommodaturam adeo quod nobis animus aliquando detur ad alia quoque pro bono vicinię et amicitię pacisque perpetuę inter nos conseruandæ et adaugendæ maiori commoditate et voluntate subeunda et perficienda ad quę iam aliquoties nos per literas et Oratores nostros offerre non recusauimus prout illi procul dubio ex vltimis literis nostris per aulicum nostrum Vespasianum de Sara superiori mense Octobri ad eam missis liquido constare potuit

Verum si vt forte fieri potuit Oratores nostri videant tractationem nostram cum Maiestate Cesarea super ijs habitam aduersariorum nostrorum suggestione aut ex alijs argumentis aliter apud Magnitudinem suam interpretatam vel aliter sibi de nobis esse significatum, Tunc ijdem Oratores nostri referant, Quod Magnitudo sua reipsa et ex omni tractatione hac nostra, vt premissum est, comperiet nos oblationi nostre penes Magnitudinem suam interpositę satisfecisse, nihilque aliud egisse quam quod voluntati Magnitudinis suę prefatis Oratoribus nostris in vltimo eorum ab ea recessu patefactę conueniret sicut eam cum effectu indubie deprehensuram esse confidimus.

Inprimis ergo Magnitudini suę Oratores nostri referant, Quod si Magni-

tudini suę nunc placeat aut sic expediat pacem cum Maiestate Cesarea et Catholica inire et acceptare, nos cum mandato amplissimo in personam nostram a prelibata Maiestate Cesarea expedito et transmisso sufficienter esse munitos ad agendum Maiestatis suę Cesareę et Catholicę nomine cum Magnitudine sua super modis et medijs in tractatu principali exprimendis

Conditionem vero principalem pacis per Maiestatem Cesaream et Catholicam cum Magnitudine sua contrahendę si Turcus primo scire et intelligere voluerit, primam illi de restituenda Corona offerant, Eo tamen prouiso quod pauperes eius regionis et loci incolę nunc et dehinc securi maneant simul et milites in ea existentes incolumes saluisque rebus et bonis suis exire valeant et de transitu eorum assecurentur,

Casu vero contingente quod antequam Corona per Oratores nostros aut ex manibus nostris Magnitudini suę consignetur, Capitaneus et Milites in ea constituti exeant eamque vacuam relinquant, prenominati Oratores nostri Magnitudini sue declarent nos de hoc quoque, vt sic fieret, cum Maiestate sua Cesarea egisse, vt si forte contingat Magnitudinem suam ante Oratorum nostrorum tractationem cum armata seu classe sua ad alteram Coronę obsidionem exire velle eam potius vacuam et incorruptam relinquat quam se cum illa Magnitudini sue opponat, nostrumque tractatum hac de re cum Maiestate sua subsecutum aliquo modo vocet in dubium, ad effectum cauendi et auertendi expensas quas Magnitudo sua subire habuisset si Corona vi et armata manu sibi recuperanda fuisset, Vnde manifesto apparere Magnitudini suę poterit, nos cum prefata Maiestate Cesarea pure et syncere egisse et oblationi nostre in nullo defuisse

Porro si Magnitudo sua cetera quoque cupiat intelligere quibus pax ista inter Maiestatem suam Cesaream et Magnitudinem suam fieri et assecurari debeat tunc ad illa Oratores nostri successiue et gradatim eant et ea iuxta formam mandatorum sibi traditorum ac Literarum et Instructionis Cesareę quarum copiam penes se habent modo quo sciunt et possunt meliori conficere laborent, vt et Maiestatis Cesareę et nostre et Magnitudinis suę securitati caueatur, Nam per hanc Instructionem nostram prefatum Cornelium ad aliud arctare vel astringere nolumus quam quod in iamdicta Instructione Cesarea sibi data continetur,

Preterea cum ex premissis omnibus plane constet et clarum sit, quantam de restituenda Imperatori Turcorum Corona operam et diligentiam apud Maiestatem Cesaream adhibuerimus partim pro maiori satisfactione animi et complemento desyderij Magnitudinis suę partim vero pro euitandis et intercipien-

dis sumptibus quibus Magnitudo sua nouam obsidionem Coronę subitura (vt premissum est) carere non potuisset, Idcirco si adhuc forte fuerint Ibraimus Bassa et Aloisius Griti in Constantinopoli aut Curia Cesaris Turcorum, Sepedicti Oratores nostri apud eosdem vnanimi studio et opere et summa qua possunt diligentia instent et agant et tractent cum eisdem vel eorum altero qui presens fuerit quatenus intuitu tam bonę et fidelis operę nostrę per nos circa Coronę restitutionem impensę cum prenominato Cesare dominoque suo patre nostro tantum agere et efficere velint quod Magnitudo sua paternum in nos animum et inclinationem suam demonstrando et dilatando, se pro parte totius regni Hungarie maiori quodammodo fauore et beneuolentia pro nobis et in commodum nostrum resoluat adeo quod hoc modo tandem nobis id cedat, quod et diuino et humano ac iure naturę iustissimoque nomine et titulo nobis spectare et competere dignoscitur,

Atque in hunc euentum quod Aloisius Griti in Constantinopoli esset vel nondum discessisset ijdem Oratores nostri a Magnitudine sua quoque petant quod ipsum Aloisium cum literis et mandato per nos petitis adhuc ad nos vel has partes mittat, suaque Magnitudo se ita vt modo petiuimus erga nos gerat prout summa in eum stat fidutia et confidentia nostra, Quo facto nos etiam sic vicissim erga eam et suos vel ipsum Aloisium gerere velimus vt iuste et merito de nobis pro conditione rerum et temporis satisfacta esse queat

Casu vero quo Aloisius Griti secundum nouissimam relationem Oratoribus nostris datam ex vrbe Constantinopolitana versus has partes discessisset, similiter Oratores per medium Ibraimi si presens fuerit procurent, vt Turcarum Cesar eidem Aloisio tale mandatum ad agendum nobiscum ratione Hungarie vt modo meminimus, transmittere velit, Comperiet enim Magnitudo sua quod quicquid in hoc vberius et plenius in nos collocandum duxerit, minime periturum, ac si vel immemori vel parum grato contulisset, sed hoc sibi cum lucro et commodo maiori quandoque rediturum, Quare iamdicti Oratores nostri summopere studeant hec pro nobis obtinere et impetrare, vt si de toto Hungarie regno habendo (de quo tamen nullo modo dubitamus) nullus sit modus aut spes, saltem pro maiori parte nobis dimittatur,

Aut si tota Hungaria nobis ex ea causa obuenire aut cedere nequeat, quod Magnitudo sua (vt asserit) Iohanni Scepusiensi de illa promissionem fecerit, saltem hoc nobis detur et concedatur, vt si apud Iohannem vel suos per viam amicabilis compositionis aut alio pacto bene viso et expedienti tantum efficere et assequi potuerimus, quod Iohannes in fauorem nostrum regno ce-

dat, suique non solum adherentes verum et alię personę particulares in eodem regno sessionati et incolę vltro et ex sua bona voluntate ad nos deueniant, Magnitudo sua non solum hoc non improbare aut ægreferre vel aliquid in contrarium agere velit sed et totam hanc cessionem et deuolutionem sic ad nos factam et faciendam et indesecuta quęcunque boni consulere et ad ea consentiendo approbare ne recuset,

Ante omnia vero si vt diximus ambo illi videlicet Ibraimus et Griti adhuc Constantinopoli fuerint priusquam aliquem de rebus sibi commissis tractatum incipiant prefati Oratores nostri exhibeant literas nostras Credentiales Ibraimo cum gratiosa et fraterna salutatione nostra ac soliti honoris sui exhibitione ac cum eo de rebus ijs nostris confidenter et studiose agant, eumque quocunque licet et possunt modo conuenienti inducere et persuadere studeant, vt pro summa nostra in eum fidutia et beneuolentia singulari negotia nostra sicut cepit et optime facere potest apud Cesarem dominumque suum patrem nostrum charissimum bene commendata habere velit, et habito respectu ad bonam operam et offitium quo perfuncti sumus apud Maiestatem Cesaream in restituenda Cesari dominoque suo patri nostro Corona, simile pro nobis inpresentiarum facere, nobisque in hoc iuxta fauorabilem et benignam oblationem suam erga eosdem Oratores in persona nostra factam gratificari et commodare velit, quod nos vicissim erga eum non verbis aut similibus, sed opere et facto vbicunque dabitur occasio quam libentissime et vberrime compensare velimus,

Vbi vero replicaret aliter Cesari dominoque suo patri nostro et sibi quam nos de Corona diximus, esse relatum vel significatum, priorem excusationem nostram ab initio Instructionis istius insertam repetendo, dicant, eum in rei veritate et in effectu visurum sic esse et fore, Quare similibus in contrarium allegatis aut scriptis nullam prorsus fidem habere velit, sed bonam rerum nostrarum curam suscipiat et eas ad votiuum finem perducere contendat, Nos enim mutuo curaturos, vt nedum huius rei vllo tempore eum non peniteat, sed quod Cesari dominoque suo et ipsi quoque gratificemur in ijs quibus patri filius merito et honeste complacere poterit et debebit

Similiter et Aloisium Griti Oratores nostri conuenire, et nostris verbis salutare debebunt, ac post literas nostras Credentiales hortentur et rogent eum plurimum vt secundum bonam et offitiosam oblationem suam et literis suis et relatione Oratorum nostrorum nobis declaratam de qua firmam et singularem fidutiam concepimus et habemus, res nostras sibi cordi accipere et habere at-

que ita eoque modo dirigere velit, vt ijdem Oratores nostri cum optato responso et quantotius expediti ad nos redeant, eaque nullo facto differantur, cum Cęsari Turcorum patri nostro charissimo ex ijs multa bona prouenire possint, Nos enim vicissim eam curam et memoriam in suo ad nos aduentu habituros tam de prioribus offitijs per eum in fauorem et commodum nostrum prestitis quam de ijs quę nunc ab eo petimus in rebus nostris impendi quę et nobis digna et honorifica eique non inutilis aut ingrata sit futura, adeo quod quicquid Oratores nostri et antea et nunc ei obtulerint de fauore et beneuolentia nostra in ipsum reuera sit deprehensurus ita habere et habitura esse,

Et si accidat Vespasianum de Sara forte Oratoribus nostris in itinere redeundo obuiare, exhibitis ei literis nostris Credentialibus ab eo percipiant omnem rerum nostrarum successum propter quas ipse nouissime ad Imperatorem Turcorum et Ibraimum Bassam ac Aloisium Griti missus fuit, vt superinde eo commodius et melius ipsi Oratores agere valeant, Qualiscunque vero earum rerum dispositio fuerit, ijdem Oratores sententiam eundi et legationem sibi iniunctam exequendi non mutent, sed recto itinere ad Constantinopolim vel Cesarem Turcorum et Curiam suam eant omniaque ad pacem et premissorum effectum consequendum proficua et requisita faciant, vt si qui forsan defectus in earum rerum tractatu euenerit propter quas ipse Vespasianus illuc destinatus fuerat, Oratores nostri solita prudentia et rerum dexteritate mediante cum presenti negotio Coronę resarciant et compensent, de quibus omnibus primo quoque tempore in omnem euentum nos reddant certiores,

Rebus quoque in eam dispositionem adductis quod ad inducias nomine Maiestatis Cesareę cum Magnitudine sua ineundas sit descendendum vt pax inde sequi et firmari valeat, Sepedicti Oratores nostri pro illis etiam inducijs obtinendis et constituendis agant, Sic tamen vt pax perpetua per nos cum Magnitudine sua confecta et conclusa in statu quo est maneat interrupta, Nosque de omnibus indesecutis Oratores plene semper admoneant vt et nos de illis Maiestatem Cesaream oportune certificare valeamus,

Quamuis item in postremis literis nostris ad Magnitudinem suam et Ibraimum Bassam datis et per prefatum Vespasianum de Sara ad Constantinopolim transmissis abunde et necessario nos excusauerimus de Capitaneo et gentibus nostris superioribus diebus ad regnum nostrum Hungarię transmissis, nempe quod hoc non ob alium respectum fecerimus quam in solam defensionem fidelium subditorum nostrorum ac spem et consolationem maiorem eisdem ostendendam et ad nullam prorsus alicui ex aduersarijs nostris violentiam in-

ferendam, Tamen antefati Oratores nostri Magnitudini suę et Ibraimo si presens sit vel qui vices eius tenebit, dicant, Quod licet Iohannes et sui se erga nos et nostros ab eo tempore quo idem Vespasianus a nobis discessit taliter exhibuerint et gesserint vt optimo iure et occasione nobis licuerit ea vicissim in eum et suos agere quę ad rem et talionem referendam pertinere videbantur, Nos tamen hoc ob nullam aliam causam quam ob solum Magnitudinis suę respectum omisisse et ab omnibus ijs supersedere voluisse, pacem scilicet semel cum Magnitudine sua initam magis respicientes et seruare volentes quam vindictam quam non dubitamus suo tempore oportune quandoque secuturam vbi et ea quę prius a Iohanne et suis commissa scripsimus et quę interea successerunt æqua (vt non dubitamus) lance Magnitudo sua perpenderit, Ferre enim quam optime possumus, vt æqua ratio de ijs ineatur quę post pacem Magnitudinis suę publicatam et Iohanni insinuatam ex parte nostra et ipsius Iohannis sint subsecuta, Quę sic cognita nimirum patefacient qua synceritate et studio eidem paci simus affecti et attenti, et quid nostra tolerantia et æquanimitas inter tot violentias et iniurias aduersariorum impugnata pertulerit et mereatur,

Ceterum Oratores nostri cum ad Constantinopolim peruenerint et forte Aloisium Griti ac prefatum Vespasianum de Sara adhuc illic repererint, causas tantę ipsorum morę et absentię statim et diligenter inquirant easque vna cum ceteris rerum nostrarum et orientalium illarum successu et occurrentijs ac toto eo quod adusque tempus illud euenerit nobis quamprimum et quam diligentissime significent,

In quibus omnibus et singulis sepefati Oratores nostri omnem possibilem diligentiam et operam impendant et apponant sic vt prenotatum est pro mentis et voluntatis nostrę ratione dirigendis et exequendis, prout earum rerum magnitudo et dispositio requirunt nosque in prudentiam et fidelitatem eorum plene et gratiose confidimus, Qui et nostram in eisdem omnimodam et seriosam executuri sunt voluntatem, Datum, Pragę 11ª Februarij 1534.

BERICHT

CORNELIUS DUPLICIUS SCHEPPER'S

AN

KÖNIG FERDINAND I.

PRAG, 2. AUGUST 1534.

Aus dem von Schepper durchaus eigenhändig geschriebenen Originale im k. k. geheimen Haus- Hof- und Staats-Archive. Auf der Vorderseite des Umschlages steht ebenfalls von der Hand Schepper's: Legatio Cornelii Duplicii Scepperi ad Solymannum Cęsarem Thurcarum. Obita Anno Domini M D xxxiiij°. Abiit Pragâ xiiij° Februarii. Rediit Pragam xxviij° Iulii; *und auf der Rückseite desselben von einer späteren:* Legatio Cornelij Duplicij Scepperi Confirmationem Pacis a° 1528 cum Ferdinando Rege initę concernens.

Enumeratio eorum quę per Cornelium Duplicium Scepperum acta et tractata et ab eodem audita et visa sunt in legatione Constantinopolitana ad Imperatorem Thurcarum quę fuit anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo quarto

Principio Quum aduersis tempestatibus ventorum et maris ęgre aduenisset Cornelius Rhagusium, statimque significasset aduentum suum Sansacho Hertzogouinę et ab eo literas commeatus accepisset venissetque primo ad eum in oppido Hotzka, postea autem prope Constantinopolim ad pontem minorem qui vocatur Buckzugmetze, premisissetque vnum ex familiaribus suis ad Aloisium Griti quem credebat in pristina esse existimatione, vt et aduentum nunciaret ipsius, et eum rogaret vt de hospitio ipsi prouideret, missis ad eum literis manu ipsius Cornelii scriptis. Rediens idem familiaris ad prefatum pontem tale rettulit responsum ab ipso Loysio Griti ad Cornelium.

Se Aloysium valde letari de reditu Cornelii Itaque vbi primum venisset Cornelius Constantinopolim, se Aloisium ad ipsum esse venturum in ipsius hospitio. Interim nihil omnino diceret Cornelius de illis rebus quas tractaturus venisset ne ipsi quidem interpreti portę Ionusbegk. Nam eos qui nunc essent apud Cęsarem Thurcarum in authoritate constituti, et magni domini, nihil scire de rebus transactis. Se habere secretum modum et intelligentiam cum Cęsare Thurcarum de quo alii nihil sciant. Quicquid autem aliis diceretur aut ipsi etiam interpreti, id statim publicatum iri. Ideoque non defuturos qui totum negocium postea inuerterent. Proinde se et Cornelium simul esse locuturos et conclusuros de modo loquendi quem tenere debeat Cornelius apud Aiazbassam. Postea se ordinaturum quod Cęsar Thurcarum sit in hortum suum venturus, vbi ipse Loysius et Cornelius simul essent, et sic transigerent negocia. Se enim plurimum optare vt Christianitas ferietur a bello aliquot annis. Se Aloisium tamdiu substitisse Constantinopoli, quia varię practicę sint à Papa propositę apud portam Cęsaris Thurcarum Quibus auertendis et destruendis presentia sua fuerit necessaria. Nunc autem se omnino in procinctu fuisse, et abi-

turum hoc eodem die, nisi de aduentu Cornelii superuenisset nuncius. Quo aduentu intellecto, sibi iussum à Cęsare Thurcarum subsistere et manere. Libenter annisurum vt res bene succedant presertim ex quo Cęsar Karolus suam authoritatem illis interponeret.

Hęc per ipsum Aloysium ita responsa fuere Petro Tragurino secretario D. Hieronymi de Zara. Quem secum assumpserat Cornelius vt peritum consuetudinum Turcicarum et linguę Sclauonicę. Quem etiam propter industriam et fidelitatem faciebat plurimi.

XXVI° itaque Aprilis occurrit locumtenens Sawsbassę nomine Bogusdohan vir non malus, Cornelio: apud portam Constantinopoleos cum aliquot Sawssiis ad hoc ordinatis. Qui percunctatus à Cornelio an munera portaret ad magnum Cęsarem: Et cum intelligeret quod non: an et Caroli Cęsaris nomine veniret. Id inquam cum intelligeret: quesiuit quando vellet alloqui bassam qui esset nunc in absentia Imbrahimi supremus scilicet Aiaz. Cornelius autem memor verborum Aloisii Griti quod ipsum speraret aut ad se venturum aut saltem prescripturum ipsi modum loquendi cum Aiaz Bassa, cum quo superiore anno nihil fuerat tractatum, respondit Se diem sequentem impensurum in reuoluendis et apparandis literis, et cogitaturum de iis quę dicere deberet. Post illum autem diem se semper paratum fore. Sic ingressus diuersorium paratum sibi, in eo reclusus fuit et ipsi iussum ne cum aliquo loqueretur donec aliud mandatum à Bassa haberet. Cui renunciaturus esset prefatus Sawss aduentum ipsius.

Superuenit tamen paulopost Ionusbeg interpres portę. Qui cum multa ex Cornelio quesiuisset, Quid afferret noui, Quur veniret: et huiusmodi: Nihil tamen extorsisset: Dixit tandem: Aloisium Griti nimis diu substitisse Constantinopoli priuatis rebus intentum, quo fieri vt fortassis fides Cęsaris Thurcarum in dubium reuocari posset, ex quo promisisset se ipsum breui esse missurum in Hungariam. Sed breui inquit abibit. Dixit idem Ionusbeg et de Troylo Pinatello: qualiter iturus esset Valonam, Et de Camillo Vrsino qui iam recesserat: qualiter multa proposuisset in quibus fides ipsi habita non fuisset quod huiusmodi homines non magni faciat Cęsar Thurcarum. Idem etiam de dimissa Corone fecit certiorem Cornelium. Et quesiuit an non sciret quando aduenturus esset orator Francorum regis quem fama erat in itinere esse. De quo nihil respondit idem Cornelius.

Scripsit autem per Iudeum quemdam qui supellectilem pro diuersorio adferebat: ad Aloisium: ipsi nuncians qualiter solus dies sequens sibi conces-

sus esset ad apparandum se ad audientiam, proinde nunciaret Cornelio secundum quod vltro receperat, quomodo cum Aiaz Bassa esset loquendum.

Quum autem et die sequenti exspectaret, et vicesimo item octauo et vicesimo nono Id quod accidit propter ęgritudinem Aiazbassę: Neque tamen aut veniret Griti prout vltro promiserat, neque quicquam rescriberet: Tandem tricesimo die Aprilis profectus est ad Aiazbassam Cornelius, Et ad eum admissus statuit nudam vęritatem ipsi Aiazbassę dicere. Et cum eo non fucate sed veraciter agere.

Itaque post salutationes premissas nomine Serenissimi Ferdinandi regis traditasque ipsi literas Maiestatis suę incepit Cornelius.

Ipsum Bassam recordari quod anno superiore ibi vnus fuisset ex oratoribus prefati Serenissimi regis Ferdinandi, et inter reliqua tunc ibi transacta, cum sermo fieret de inducendo Karolo Cęsare ad pacem determinatum esse si ipse Carolus Cęsar aut mitteret aut mandatum daret tractandi, de hoc transactum facile iri. Ob id se Cornelium missum à Serenissimo Ferdinando rege ad Hispanias: simul etiam vt induceret prefatum Carolum ad dimittendam intuitu fratris Coronem vrbem vt ostenderet prefatus Serenissimus Ferdinandus Rex affectum filialem erga Cęsarem Thurcarum patrem suum. Vtrumque autem ab ipso Carolo Cęsare tametsi ęgre: impetratum. Nam ipsum de pace non esse multum sollicitum tametsi eam si honesta sit non contemnat. Et Coronem iam statuisse omnibus modis defendere, nisi superuenissent preces fratris in contrarium. Proinde intuitu fratris Ferdinandi regis ipsum Carolum iussisse dimitti Coronem intactam et illesam. Neque renuere pacem sed ad eam melius stabiliendam opus esse induciis et cessatione armorum vt et papa et alii Christiani principes interim induci ad solidam aliquam et firmam pacem possint. Ad eas itaque inducias faciendas: se mandatum habere sufficiens. Regem autem Ferdinandum, diu exspectasse aduentum Aloisii Griti: et mirari quod non venerit, Cupere ipsum citissime venire. Petere autem à patre suo Cęsare Thurcarum vt intuitu filialis operę impensę in inducendo fratre suo Carolo Cęsare ad dimittendam tam libere Coronem, iubeat ipsi Aloisio Griti vt vel totum vel maiorem regni Hungarię partem Ferdinando regi consignet allegando ea quę ad hanc persuasionem essent necessaria. Ad quod etiam requireret operam ipsius Aiazbassę. Maiestatem enim Regiam memorem fore huius obsequii.

Hęc et huiusmodi secundum contentum vtriusque instructionis suę cum dixisset Cornelius, petiit Aiazbassa, vt sibi literas traderet, et mandata ad tractandum si quę haberet, ostenderet. Id quod fecit Cornelius ostenso tamen solo

mandato quod erat ad tractandum de abstinentia belli, et induciis et non vlterius.

Postea autem respondit Aiazbassa. Se bene recordari qualiter cum resolutione superius dicta de inducendo Carolo Cęsare ad pacem, inde abiuisset Cornelius. Quod autem attinet ad id quod Ferdinandus Rex à fratre impetrasset dimissionem Coronis oppidi: debuisse vt animum suum erga Cęsarem Thurcarum testificaretur, impetrasse quod in Corone dimissa fuisset artilleria, et habitatores qui in ea fuerant. Nunc omnia esse ablata, solos muros reliquos factos esse. Nihil in ea viuum dimissum. Non esse proinde tam magnum officium quam illud faceret et estimaret Cornelius.

Respondit Cornelius. Ferdinandum regem bene sciuisse, quod patri suo Cęsari Thurcarum satis esset artillerię et hominum. Hinc non tam valde sollicitum fuisse pro hoc instare apud fratrem suum. Ipsos etiam milites qui in Corone fuerant non habuisse mandatum exportandi homines, neque ita euacuandi vrbem, sed ipsos ex voluntate sua et citra prescriptum fecisse. Non esse propterea minus officium Ferdinandi regis Neque ob id debere ipsius operam minus estimari. Nullum esse tam magnum beneficium quin in sinistram partem rapi possit. Sed in rei vęritate Ferdinandum regem huius dimissionis causam esse.

Respondit Aiazbassa. Verum esse quod Cęsari Thurcarum sit et artillerię et hominum satis, et tantum vt toti mundo subiugando sufficiat: sed gratius facturum fuisse Ferdinandum regem si et artilleriam et homines tradi fecisset. Quid enim ipsis cum solis muris deserti oppidi?

Quod autem ad Griti pertineret. Dixit ipsum diu expeditum fuisse à Cęsare Thurcarum, et per ipsum stetisse quominus fuisset profectus. Breui tamen abiturum in Hungariam.

Quod etiam ad excusationem de gentibus in Hungariam missis per Cornelium allegatam, faceret, respondit Se nihil scire de iis gentibus. Et quesiuit quales essent? Respondit Cornelius. Esse paucos quosdam ad cohercenda latrocinia et vim etiam cohibendam si quę immineret, eo missos. Nam post pacem factam multa à Ioanne Vayuoda facta contra pacem, Ob quę quominus castigaretur solum in causa esse respectum Cęsaris Thurcarum. Quem speraret Ferdinandus rex intellecta rei vęritate vltro ipsum castigaturum. Respondit Aiaz Bassa. Ioannem nihil audere facere nisi quod esset beneplacitum magno Cęsari. Et concludendo dixit se esse seruum domini sui, et de iis quę ex Cornelio audiuisset, facturum esse ipsi domino suo relationem. Ex quo postea in-

telligeret Cornelius responsionem et ad literas et ad ea quę proposuisset. Literas autem tradidit Ionusbeg interpreti, traducendas in linguam Turcicam. Et sic Cornelium dimisit.

Hoc intermedio tempore, hoc est à die introitus Cornelii in Constantinopolim mercatores omnes Christiani, iussu Barbarossę tenebantur captiui, nequicquam valente ipsos liberare Aloisio Griti qui ipsorum patronus semper fuerat.

Causa detentionis ipsorum erat, pretextus quod aliquot sclaui à Barbarossa fugissent quos ipsi dicebantur occultasse. Re autem vera id factum fuit ab ipso Barbarossa in odium Griti vt ostenderet se plurimum posse. Ideoque toto hoc tempore de ipso Griti nihil audire potuit Cornelius.

Quarto Die mensis Maii Misit Aloisius Griti ad Cornelium, per fidelem quemdam Sawss vnas literas manu ipsius scriptas, quibus excusauit se quod non venisset aut misisset. Propter suspitionem enim Thurcarum id accidisse. Si quid autem ipsum scire vellet: id scriberet Cornelius, et literas tuto crederet prefato Sawss. Scripsit itaque ad eum Cornelius summam negociorum pro quibus venerat in quantum Carolum Cęsarem, et ipsius Griti aduentum in Hungariam, et potestatem plenariam quam haberet Serenissimus Rex Ferdinandus nomine Cęsaris Caroli tractandi de pace: concerneret.

Nona Die mensis Maii Quum propter ęgritudinem Aiazbassę nondum fuisset ad Cęsarem Thurcarum admissus Cornelius venit ad ipsum inclusum adhuc in hospitio Dominus Aloisius Griti. Qui multa prefatus de mutatis temporibus propter absentiam Imbrahimi Bassę: tandem ad id venit, vt se excusaret quominus adhuc venisset in Hungariam. Dicens pontificem maximum per Baylum Florentinorum longe antea tractasse de pace cum Thurcis habenda. Ad cuius literas missas sit responsum. Ipsius autem sanctitatem cum ex conuentu Massiliensi, rescripsisse, se de iis fecisse Carolum Cęsarem certiorem. A quo postquam responsum haberet, prosequi iussurum esse tractatum pacis cum isto Cęsare Thurcarum. Hęc scripta esse ab ipsius sanctitate mense Decembri: Ad se autem perlata paucis abhinc diebus. Itaque cum videret rem in longum protrahi, accinxisse se itineri et abiturum fuisse. Iam enim accepisse vestes à Cęsare Thurcarum quibus indutum oporteat Cęsari valedicere. Audito autem nuncio de aduentu Cornelii, sibi iussum esse vt maneret. Postea diuertens propositum. Ego volo inquit tecum loqui libentius et confidentius. Ego habeo secretam intelligentiam cum magno Cęsare: Sed non possum tam frequenter ad eum venire: quam bene potuissem,

Papa.

si adfuisset hic Imbrahimus Bassa. Fui tamen apud eum nudius tertius, et tunc mihi iussit vt ad te venirem, intelligeremque summam commissionis tuę. Fui et apud Aiazbassam: qui mihi omnia recensuit quę illi dixeras. Et imprimis de Corone dimissa. Quam vellem adhuc esse in manibus Christianorum. Male enim me habet quod iste pyrata Barbarossa qui non assueuit à teneris nisi pyraticę: egreditur cum tanta classe. Ego comitatus sum Imbrahimum Bassam dum hinc recederet: et in itinere intelleximus ipsum Barbarossam appulisse Constantinopolim. Tunc inter nos conuenit vt aliquanta classis illi daretur: sed sic: vt in eam solus non haberet potestatem: sed adhiberentur illi aliquot Sansachi: qui ipsi quodammodo imperarent, et reuocari possent pro nutu et libito. Ita tunc conclusum fuit. Postea autem nescio quid intercessit quod isti soli data sit plenaria potestas.

Barbarossa.

Soleo cum istis Bassis loqui, et dicere eis: Qualiter legissem dum puer essem quod tempore Rhomanorum adeo increuerat pyratica vt ad eam tollendam opus fuerit mittere primarium vrbis Rhomę virum Pompeium. Itaque fieri posse vt et nunc quoque inualescat pyratica hoc homine habente tam magnas vires, intantum vt ipsis Thurcis possit et terrori esse et periculo. Quibus verbis meis fuit principio condescensum, postea autem visum est Thurcis aliter. Et iterum subiunxit. Se non tantum curaturum si alius quispiam cum illa classe mitteretur. Confidentissime se cum Cornelio loqui. Respondit Cornelius sibi quoque iussum esse confidentissime cum ipso agere.

Subiunxit Dominus Aloysius Se eum esse qui libentissime videret tranquillitatem et vnionem inter Christianos. Hoc enim modo inconuenientia multa vitari posse quę imminent. Et quesiuit. Quid est inter vos quod non potestis conuenire cum rege Francię? Respondit Cornelius. Inter Cęsarem Karolum et regem Francię optimam esse pacem Neque vlla alia esse indicia nisi amoris et fraternitatis.

Addidit. Quid autem si hic Barbarossa se illi cum tota classe coniungat? Respondit Cornelius. Quamquam anno superiore Imbrahimus Bassa ipsi dixisset, iussum esse Barbarossam ita obsequi regi Francorum, atque ipsimet Cęsari Thurcarum, Carolum tamen Cęsarem id non credere de Christianissimo rege et fratre suo: et Cornelio id ipsius Maiestati referenti, nullam fidem adhibuisse.

Ad hoc Aloysius. Ego tibi dico. Nudius tertius huc venisse quemdam Sawss ex Imbrahimo Bassa qui ipsius literas attulit ad magnum Cęsarem In quibus haud dubie continetur quid cum ipso tractauerit orator regis Franco-

Orator Francie.

rum Qui primo traiecit in Aphricam, postmodum venit Rhodum, et ex Rhodo venit in Syriam ad Imbrahimum Bassam Cum quo absolutis negociis per eamdem viam maris recessit, et nunc est in reditu ad regem suum. Quid autem tractauerit adhuc nescio. Postquam resciero: tibi id sum dicturus.

Et addidit. Vtinam esset bona pax inter Carolum Cęsarem et regem Francorum. Ego bene scio modum cogendi Venetos: et ipsos bene cogerem ad coniungendum se illis duobus contra istos Thurcas. Et tunc posset aliquid solidum fieri. Vel saltem vtinam Rex Francorum non impediret, ex quo adiuuare non vult. Ego fui hic inquit viginti sex annis, et noui huius Imperii res melius quam omnes qui in ipso sunt. Potentia istius est maxima. Ego tibi possum in veritate dicere quod ipse fecit nunc vnam nouam impositionem per omne Imperium suum. Ex qua habiturus est viginti miliones ducatorum aureorum: preter omnem Thesaurum quem nunc habet. Veneti cogendi.

Nudius tertius iussit dari huic Barbarossę trecentas somas asprorum hoc est sexcentena milia ducatorum. Dat autem illi centum triremes instructissimas omni genere munitionum. Hanc autem pecuniam dat ipsi ad sumptus sustinendos vnius anni. Curat autem fieri alias ducentas triremes pro futuro tempore. Dat item Barbarossę centum viros liberos ad pugnandum in singulas triremes preter remiges et nautas. Quorum omnium militum scilicet remigum et nautarum numerus ascendit ad triginta milia virorum. Curat autem fieri decem milia cathenarum. Nam remiges omnes etiam Thurcas vult in cathenis habere. Factus est preterea Beglerbey et Bassa maris. Iussique sunt illi parere omnes Sansachi maritimi vtpote Rhodi: Necroponti Callipolis et alii. Primo se hinc conferet forte sub regnum Neapolitanum. Deinde deflectet in Aphricam. Barbarosse pecunia.

Quod autem ad hęc tempora attinet inquit. Magnus Cęsar Thurcarum breui abiturus est contra Sophy. Hac hyeme ipsum vincet. Nam hoc tempore Sophy opprimitur à Tartaris ita quod cogitur exercitum suum diuidere: Suntque Tartari ex opposito ripę vnius fluminis. Ipse vero Sophy ex altera est parte. Diuisę ergo cum sint vires ipsius facile fiet vt prosternatur. Quo deuicto inquit Ipse Cęsar Thurcarum statuit mittere Imbrahimum Bassam in Italiam ad expugnandum vi aliquem portum prope Rhomam. Qui donec expugnatus fuerit: tamdiu mansurus est Cęsar Thurcarum in Grecia. Postea autem et ipse transfretabit, et veniet Rhomam eamque capiet. Hanc esse ipsius mentem et intentionem firmissime credere potes Nam ego id ex ipsomet Cęsare Thurcarum audiui. Quare nisi preueneritis male vobiscum agetur. Neque semper eam opportunitatem habebitis quę nunc sese offert. Mihi non placent Italica Sophy. Rhoma.

capita Tametsi et ego vnum habeam ex illis. Nam sunt nimium vehementia, voluntque totum mundum secum trahere in precipitium.

Ad hoc Cornelius respondit. Scire se hic quosdam esse cupidos rerum nouarum vt Troylum Pinatellum et similes qui nihil non audeant. Verum non omnino semper succedere pro ipsorum arbitrio.

Troylus Pinatellus.

Camillus Vrsinus.

Verum est inquit D. Aloysius esse talia hic capita et fuisse vt Camillum Vrsinum. Qui cum multa hic proponeret, et nihil haberet quod expenderet, adiutus est à me aliquot centenariis ducatorum. Neque vero hi soli hic sunt aut fuerunt: sed alii etiam qui vxores et pignora liberosque suos volunt dare obsides futuros ad libidinem si fefellerint, et si non plurima castella in manus ipsius Barbarossę tradiderint. Qui quidem Barbarossa mirabiles intelligentias habere se ait multis in locis. Si Imbrahimus Bassa hic esset bene impediremus ipsius Barbarossę profectionem. Nunc autem cum sim solus: non possum ea quę bene vellem.

Barbarossa.

Postea sermo ortus est de Commissione Cornelii et de induciis faciendis inter istos Cęsares. Dixit id minime processurum quia Barbarossa vehementer instetisset ad proficiscendum allegando nullum tempus melius esse ad damnificandum Carolo Cęsari quam istud presens. Neque emittendam esse occasionem hanc è manibus. Sed si de pace sermo fieret, tunc forte aliquid fieri posse.

Respondit Cornelius. Inducias fieri ad pacem. De qua etiam si nunc tractandum esset, non deesse sibi mandatum: sed pacem conditionalem se facere posse: hoc est pro tota Christianitate, et in euentum ratificationis subsequendę à sanctissimo domino nostro Papa: et aliter non. Id enim pro debito Imperatoris Christiani facere velle Carolum Cęsarem: et non posse aliter pro honore suo.

Respondit D. Aloisius. Hanc pacem conditionalem plenam esse suspitionis et in eam non consensurum esse Cęsarem Thurcorum, sed bene aliquid fieri posse modo excludatur conditio de subsequenda ratificatione per Papam facienda.

Respondit Cornelius. Carolum Cęsarem nequaquam pacem facere velle nisi cum hac conditione, et malle totum negocium infringi: quam ab hac conditione decedere. Hinc posse ipsius integritatem constare quod res suas mallet periclitari quam in aliquo videri fecisse contra debitum Imperatoris Christiani et obseruantiam sanctę sedis Apostolicę.

Respondit Aloisius. Se prius de Maiestate Cęsarea sinistre fuisse in-

formatum. A paucis autem diebus cepisse optime de ea sentire: et plurima intellexisse quę prius aliter se habere crediderat. Hinc sicubi possit: libenter ipsius Maiestati adfuturum. Et subiunxit iterum. Si Deus daret Christianis pacem: vel saltem si se inuicem non impedirent: ego aliquid possem. Verum est me istis seruire: sed non ita haberem pro ingrato si subinde aliquid ipsis sinistri accideret. Ego inquit admonui vt littora Marchię custodirentur Non quidem contra Barbarossam, sed propter aliorum excursiones. Barbarossam enim non eò concessurum esse sed alio profecturum, innuens ad regem Francorum. Et dixit Cęsarem Thurcarum dimittere ad custodiam harum prouinciarum quattuordecim sansachos cum copiis suis Alios autem secum abducturum.

Et ad res Serenissimi Regis Ferdinandi conuersus. De illis inquit nunc loqui non est opus quia ego illuc veniam et eas in Hungaria componam. Ipse Ioannes Rex inquit debet mihi magis quam trecenta milia ducatorum quę ego ipsi dedi mutuo de meo. Sed de iis alias copiose. Nunc autem solum superest vt videamus an istum Barbarossam continere possimus ne exeat. Ego inquit cum Bassis loquar copiosius. Tametsi multa versaui vt impediretur eius profectio. Allegaui enim Carolum Cęsarem armare posse octuaginta triremes preter magnum numerum nauium onerariarum. Venetos autem armare quinquaginta triremes. Quę iunctę facile possent et pares esse classi Barbarossę et superiores etiam. Allegaui preterea inquit imperitiam remigum Thurcarum, tempestates, morbos et alia quę superuenire possunt. Quod si tecum inquit aliquis Turca loquatur de classe Caroli Cęsaris, dic de eodem numero octuaginta triremium. Et reliqua curę meę permitte. De omnibus quę egero te reddam certiorem. Et hoc modo recessit à Cornelio.

X° Die Maii scripsit Cornelius ad Cęsarem et ad regem Ferdinandum et ad reginam Mariam Misitque literas ad D. Aloisium. Quę an sint transmissę et an saluę peruenerint: omnino ignorat. Ipse autem adhuc tenebatur clausus. Neque ad ipsum quisquam intromittebatur. Et adhuc ęgrotauit Aiaz Bassa.

XVI° Maii. Venit ad Cornelium Ionusbeg Interpres portę missus ab Aiaz Bassa nunciatum Cornelio: qualiter postridie iturus esset ad deosculandum manum Cęsaris Thurcarum. Ideoque ad id se appararet. Reddidit etiam literas quas dederat Cornelius ipsi Aiaz Bassę, quasque ipse traduci fecerat, in linguam Turcicam, dicens moris esse vt ipsi Cęsari literę presententur ab oratore cum primum ipsum adit. Et quesiuit. Vbi inquit manet Hieronymus de Zara qui scribitur in literis Ferdinandi regis ipsius nomine mitti, cum tu inquit habeas mandatum et literas à Carolo Cuius nomine hic es. Respondit

Cornelius. Ipsum esse ęgrotum sed se nomine Ferdinandi regis, non minus ob id acturum. A quo principaliter missus sit orator. Quamquam se etiam à Carolo Cęsare habere mandatum, negare, aut dissimulare neque velit neque possit. Respondit Ionusbegk. Se ideo id querere quod ita iussus esset ab Aiaz Bassa qui miraretur quod cum duo continerentur in literis Ferdinandi regis, vnus tantum compareret. Et subiunxit. Forte inquit Ferdinandus Rex dubitat de magno Cęsare; ex quo anno superiore promisit se statim missurum esse Aloisium Griti: et adhuc idem non aduenit. Sed profecto inquit non est culpa magni Cęsaris sed ipsius Griti. Et quesiuit. Quam allegationem fecit tibi huius morę et exspectationis suę? Respondit Cornelius. Ipsum allegare quod ob causam pontificis maximi qui pacem studeret facere: hic mansisset. Respondit. Non ob id hic mansit. Quia iam diu est quod fuit absolutus ab hoc magno Cęsare, sed ob mercantias suas et priuata negocia. Ipse vult esse dominus et simul vult esse mercator. Esse autem dominum et mercatorem impossibile est. Ipse naturam suam non potest obliuioni tradere.

Subiunxit idem Ionusbeg Ipsum Aiazbassam miratum fuisse quod dixisset Cornelius anno superiore per Imbrahimum Bassam fuisse factam mentionem de inducendo Carolo Cęsare ad pacem. Ex quo de hoc nihil audiuisset.

Ad quod respondit Cornelius Ipsum Ionusbegk presentem fuisse interpretem tunc et recordari debere verborum per ipsummet dictorum in superiore audientia.

Respondit Ionusbeg. Verum esse: sed Imbrahimum Bassam ex suo capite locutum plurima de quibus nihil scirent alii Bassę.

Ita abiit: plurima contra Venetos locutus: Dicens esse infidos vtrique parti et verum dixisse Hispanum quemdam captum apud Coronem. Qui ab ipso Cęsare interrogatus: an non Veneti ferrent Coronensibus suppetias et quales sibi viderentur, responderit, esse duarum facierum homines. Quo verbo delectatum Cęsarem Thurcarum condonasse illi Hispano vitam et tantummodo eum iussisse tradi in triremem Barbarossę. Ad quod respondit Cornelius. A magno Cęsare paruam sibi videri gratiam impensam captiuo qui ipsius Magnitudinem vidisset. Apud Christianos talem fuisse liberandum qui tam facete locutus fuisset. Venetos tamen esse meliores Thurcas quam Christianos: hoc est Thurcis plus fauere, se Cornelium habere compertissimum. Id autem dixit ad tollendam suspitionem.

Veneti.

XVII° Die ingressus est Cornelius palatium Cęsaris Thurcarum. Exceptus pompa solita Ianidtzarorum et Spahyoglanorum: sed non eo numero

quo anno superiore. Quin et eos qui iam transierant Bosphorum Thracium reuocari fecerant. Venit ad locum Dyuani siue consilii vbi fuere tres Bassę Aiaz Cassum et Cheyradin siue Barbarossa Cum quibus pransus est. Et cum Barbarossa sermonem habuit de Hispaniis et de situ regionis illius, et de temperatura quantum ad frigus et calorem attinet. Postea introductus est ad Cęsarem Thurcarum. Cui exhibuit honorem deosculata manu: et post salutationem nomine Ferdinandi regis premissam, obtulit ipsi literas. Quas ipse Cęsar non suscepit sed eas iussit vt daret Cornelius ipsi Aiaz Bassę. Stabant autem tres illi Bassę in pedibus, Aiaz propius ad Cęsarem, post hunc Cassum, post illum autem Cheyradinus siue Barbarossa. Quem attingebat à latere Ionusbeg interpres portę. Post quem Cornelius propius ad tabulatum super quo sedebat Cęsar.

Exorsus est Cornelius ab eo quod cum anno superiore apud portam fuisset, et mentio fuisset de inducendo Carolo Cęsare ad pacem cum Magnitudine sua, idem illud à collega suo et se Cornelio relatum fuisse Serenissimo Ferdinando regi. A quo volente gratificari ipsius Magnitudini, ipse Cornelius fuisset missus in Hispanias ad Carolum Cęsarem. Quem enarrata magnanimitate et studio pacis quod inest Magnitudini ipsius Imperiali eo induxisset vt et ipsius Cęsarea Maiestas a pace non abhorreret et in gratiam fratris sui Ferdinandi regis Coronem vrbem quam omnibus viribus tueri destinauerat, dimitteret. Et ob id ipsi Cornelio redeunti à Cęsare Carolo datas fuisse literas ad ipsius Magnitudinem quę iam essent in manibus Aiaz Bassę. Credidisse autem inuenire Aloisium Griti in Hungaria. Cum quo tractare super induciis potuisset: et per cuius medium per viam breuiorem Hungarię ad portam ipsius venisset. Quod si accidisset: ipsum Cornelium mandaturum fuisse Coronensibus vt exirent nullo damno illato. Quum autem propter tempestates maris et per longum iter Rhagusium tardius aduenisset, Magnitudinem ipsius mirari non debere quod ii qui in Corone erant exiuissent. Ita enim ordinatum fuisse ne Magnitudo sua se in grauiores expensas conijceret propter obsidionem. Ferdinandum itaque regem petere, vt hoc filiale suum officium Cęsarea sua Magnitudo in bonam partem capiat, et Aloysium Griti ocyus ad Hungariam mittat, eique de nouo iubeat vt totum regnum Hungarię vel saltem maiorem ipsius partem, prefato Ferdinando regi consignet. Quicquid enim ipsi Ferdinando regi accesserit, id Magnitudinem ipsius arbitrari debere accessisse propensitati et beneuolentię filiali erga eamdem.

A prefato preterea filio suo Ferdinando rege iniunctum esse Cornelio vt

Magnitudini ipsius diceret, se animum suum libenter declarare voluisse ipsius Magnitudini, in inducendo fratre suo ad dimittendam Coronem, declaraturum etiam in aliis quę occurrerent. Non debere ob id Magnitudinem suam fidem adhibere sinistris delationibus, si quę contra Maiestatem ipsius regiam factę essent, aut fierent. Maiestatem enim suam, et integre seruasse pacem factam, et adhuc seruare velle, qualitercumque cum Carolo Cęsare et ipsius Magnitudine res succederent: hoc est siue bellum subsequeretur siue pax. Compertum autem iri ab aduersa parte ipsius Maiestatis plurima gesta esse aduersus pacem, quę ob solum intuitum Magnitudinis suę impunita manerent. Esse hęc quę ex parte Ferdinandi regis diceret. Ex parte autem Caroli Cęsaris: sibi iniunctum esse dicere. Paratum esse Carolum Cęsarem cum Magnitudine sua inducias facere pro aliquanto tempore, nomine suę Cęsareę Maiestatis, et totius Christianitatis. Eas autem ob id fieri vt interim Carolus Cęsar omnes principes et potentatus Christianos et precipue summum pontificem inducere possit ad aliquam solidam pacem sine cuius summi pontificis consensu nihil facere vellet aut posset in huiusmodi rebus. Si itaque sua Magnitudo vellet huiusmodi inducias facere in spem futurę pacis: prohiberet suis terra et mari ne damnificent Christianis. Carolum Cęsarem similiter suis iussurum ne Thurcis aut ipsius Magnitudinis subditis in aliquo noceant. Idque pro aliquo tempore vtpote aliquot mensibus aut anno vno. Ad hoc enim tractandum et concludendum se habere plenariam et sufficiens mandatum à Carolo Cęsare. Super iis itaque se Cornelium petere responsum ab ipsius Imperiali Magnitudine.

Hęc cum diceret Cornelius ad singulas clausulas ea recensebantur à Ionusbeg ipsi Cęsari Thurcarum. Non quod prius dicerentur alicui bassę sicut anno superiori: qui bassa postea referret Cęsari: sicut tunc factum fuit ab Imbrahimo, sed nunc immediate referebantur ipsi Cęsari Thurcarum. Qui Cęsar Thurcarum interruptim multa loquebatur quę postea visa sunt masticari per Aiazbassam. Aliquando autem prout protulerat nullo intermedio interlocutore exponebantur Cornelio à Ionusbegk. Quę erant in sequentem modum licet interrupte dicta.

Sub principium propositionis visus est quęrere num anno superiore ibi fuisset Cornelius.

Postea cum continuaret Cornelius narrationem et nominasset Griti quem ipsi vocant Begogly dicendo scilicet quod si ipsum inuenisset in Hungaria cum eo tractasset de induciis. Et quod Ferdinandus Rex amplum man-

datum haberet à Carolo Cęsare tractandi cum ipso Begogly nomine suę Magnitudinis de pace: erexit caput Cęsar Thurcarum et quasi iratus dixit Quid tu dicis de Begogly? Respondit Cornelius Quod si eum inuenisset tractasset cum eo de induciis. Respondit Cęsar Thurcarum ingeminans hanc vocem. Begogly? Begogly? Ipse non habet vllam potestatem à me de talibus rebus agendi: sed solum de iis quę concernunt Ferdinandum et regnum Hungarię: et non de rebus Caroli pro quibus oportet huc venire ad portam meam. Tu bene fecisti huc veniendo Et replicabat ista quasi indignabundus.

Respondit Cornelius se credidisse ipsum Begogly habere omnem potestatem a Magnitudine sua transigendi de pace cum Carolo Cęsare et omnibus principibus Christianis ipsique Begogly hęc commissa esse.

Respondit Cęsar Thurcarum Non: non: Ad portam ista referri debent.

Respondit Cornelius. Bene. Se ita credidisse. Ad quod Aiazbassa: Tu audis quid tibi dicitur.

Postea subiunxit Cęsar Thurcarum. Quid est quid tu dicis de Carolo?

Respondit Cornelius. Secundum conclusionem factam anno superiore se venisse cum potestate à Carolo Cęsare ad tractandum de aliqua abstinentia belli casu quo Magnitudo sua vellet: et hoc: nulla alia de causa nisi vt interim posset Carolus inducere pontificem maximum aliosque reges et potentatus Christianos vt comprehenderentur in pace facienda.

Tunc iterum Cęsar Thurcarum. Isti inquit quos tu nominas sunt subiecti et serui Caroli: vel non?

Respondit Cornelius. Quod non omnes essent serui sui, sed bene aliqui essent ipsius subditi: alii autem essent amici. Pontifex autem maximus esset caput Christianitatis in spiritualibus sicut Carolus Cęsar esset supremus in secularibus.

Tunc iterum Cęsar Thurcarum interrupto sermone. Quomodo posset Carolus ipsis imperare qui ne militibus suis qui in Corone erant potuit imperare?

Hoc autem ad quem finem dixerit non potuit Cornelius intelligere Respondit tamen Cornelius. Ipsum Carolum Cęsarem non esse eos qui non vellent consentire in hanc pacem coacturum, sed se dixisse Aiazbassę et adhuc dicere, quod si qui ex principibus Christianis intra annum factarum induciarum aut pacis: noluerint in ea pace fienda comprehendi, eos à pace fore seclusos. Ita velle Carolum Cęsarem pro debito Imperatoris Christiani quod est pacem pro omnibus procurare. Quod si qui nollent: id ipsorum damno fore. Excepto

quod si pontifex maximus non ratificaret tunc neque Carolus Cęsar eam acceptare vellet. Sine consensu enim Sanctitatis ipsius, nihil velle aut posse Carolum Cęsarem cum ipsius Imperiali Magnitudine tractare.

Tunc iterum Cęsar Thurcarum. Qui pacem mecum volunt: bene mittent ad portam meam, nuncios et literas. Non est opus quod Carolus eos ad hoc inducat.

Respondit Cornelius. Ipsum Carolum Cęsarem ex officio Imperatoris non posse nec velle aliter facere.

Subiunxit Cęsar Thurcarum. Bene inquit. Quomodo vult Carolus nobiscum facere amicitiam.

Respondit Cornelius. Quod pro nunc commissionem haberet ad tractandum cum Magnitudine sua de abstinentia belli per vnum annum aut aliquot menses: vt scilicet eo intermedio tempore commodius posset tractari de conditionibus pacis sic tamen quod interim cessaret omnis impetus armorum vtrimque terra et mari Cessarent itidem omnes apparatus. Nam fieri posse vt illi interim si fierent: ita promouerentur: quod difficilius postea ad pacem perueniretur.

Tunc iterum Cęsar Thurcarum. Tu habes potestatem faciendi nobiscum pacem et amicitiam: hoc bene scimus dixit. Sed quomodo vis pacem facere?

Quum Ionusbeg interpretaretur hoc Cornelio et Cęsar Thurcarum loqueretur interim cum Bassis, nactus opportunitatem loquendi Cornelius dixit ad Ionusbeg. Tu vidisti mandatum meum quod est pro abstinentia belli siue treugis faciendis: quę abstinentia belli fieri deberet ad tractandum commodius de pace. Hoc est mandatum quod ego habeo.

Respondit Ionusbeg Interpres. Mandatum quod tu habes est sufficientissimum et per illud mandatum tu habes omnem potestatem ad pacem treugas abstinentiam belli et talia faciendum. Nam nos ista omnia pro vno reputamus.

Quum autem ad hoc respondere pararet Cornelius Conuersus ad eum Cęsar Thurcarum. Si vis tractare dixit Tu debes dicere quomodo vis mecum tractare. Et hoc dixit cum impetu.

Respondit Cornelius Se iam dixisse mentem suam videlicet quod cuperet facere abstinentiam belli cum Magnitudine sua. Ex quo autem omnino Magnitudo sua ipsum vrget vt dicat quomodo Carolus Cęsar pacem facere contentus esset: Ne Magnitudo sua cogitet aliquid aliud subesse quam rei sit veritas, vel ne putet hęc synceriter agi, Contentum esse Carolum Cęsarem

facere pacem cum Magnitudine sua ad vitam vtriusque: casu tamen quo summus pontifex Christianorum hanc pacem ratificare et confirmare velit: et non aliter.

Accedente pręterea et hac conditione Quod de triennio in triennium erit vtrique parti liberum ab hac pace recedere computando triennium à die ratificationis sic tamen quod per proximos tres annos ea manebit rata: cum conditione consensus vt supra. Post quos tres annos poterit fieri abrenunciatio pacis: sic tamen quod à die abrenunciationis ad noticiam vtriusque partis deuolutę vsque ad finem anni nihil hostile intentetur, interimque terra et mari nihil inimicum fiat. Hanc etiam pacem pro Rhomano Imperio, omnibus regibus: principibus et potentatibus Christianis qui intra annum literas suas sunt daturi: fore. Istam esse mentem et voluntatem Caroli Cęsaris et non aliam.

Respondit Cęsar Thurcarum nihil ad conditiones dictas faciens sed hoc tantummodo. Si Carolus vult mecum pacem: sciat quod Rex Francię est frater meus. Ideo ipse Carolus restituat regi Francię omnes illas terras quas ab ipso occupauit: et omnes pecunias quas ab ipso habuit. Tunc tractabimus de pace cum eo: et prius: non. Quia ipse magnam violentiam fecit regi Francię.

Et hoc dicto Conuersus est Cęsar Thurcarum ad Bassas et cum illis quędam locutus est quę Cornelius non intellexit. Interim Ionusbeg interpretabatur Cornelio supradicta. Ad quę ipse Cornelius respondit in hunc modum.

Serenissime Cęsar. Quod Magnitudo vestra ait de terris restituendis quas Carolus Cęsar habere dicitur de rege Francię. Ego nullas terras cognosco quas Carolus Cęsar occupat de rege Francię: sed bene cognosco aliquas terras quas rex Francię occupat de Carolo Cęsare. Quę terrę sunt de iure ipsius Caroli Cęsaris: scilicet ducatus Burgundię.

Tunc Cęsar Thurcarum interrupto sermone Cornelii. Nonne Carolus inquit habuit regem Francię in carcere? et non dimisit eum nisi habitis filiis ipsius et magna summa pecunię? Et iterum deflexit se ad Bassas.

Respondit Cornelius. Verum esse quod rex Francię fuit captiuus Cęsaris Caroli sed non ita quod ipsum habuit in carcere sed fraterne et honorifice eum tenuit et tractauit. Et ita faciat deus animę Caroli Cęsaris: sicut ipse cum rege Francię fecit.

Quod autem ad filios regis Francię attinet Ipsum regem Francię promisisse Carolo Cęsari quod ipsi restitueret ducatum Burgundię. Quem iniuste per multos annos: reges Francię et ipse possederat. Ad cuius restitutionis

maiorem certitudinem tradidisset liberos suos obsides. Qua tamen promissione non obstante prefatum ducatum non restituerit.

Postea autem cum iterum pax fieret inter ipsos Ipsum quidem dedisse aliquam summam pecunię Carolo Cęsari. Qua tamen longe maiorem summam ex prefato ducatu multis annis hauserit. Et sic ipsi restitutos esse liberos suos, et factam esse pacem quę adhuc duret. Et nunc esse bonos fratres et amicos et de se inuicem bene contentos.

Respondit Cęsar Thurcarum. Quomodo hoc esse potest quum omnes oratores qui hic fuerunt semper dixerint quod Carolus Cęsar multas terras haberet et occuparet quę essent regis Francorum.

Respondit Cornelius Eos oratores qui talia dicerent Neque Cęsari Carolo neque ipsius Magnitudini bene velle. Neque ipsos cum vęritate hec dicere. Magnitudinem suam Imperialem inuenturam esse quod id quod Cornelius ipsi dixisset verum esset, et non aliter.

Tunc Cęsar Thurcarum. Bene inquit super iis cogitabimus et legemus literas vestras quas portastis et postea vobis respondebimus.

Tunc iterum Cornelius. Serenissime Imperator. Serenissimus Rex Ferdinandus in futurum cupit excusari, et non haberi suspectus à Magnitudine vestra casu quo non fiat pax cum fratre ipsius Carolo Cęsare. Quia per ipsum filium vestrum non stat quominus fiat et fratrem suum induxit ad dimittendam Coronem in gratiam vestri. Et nunc iterum dicit se velle manere in pace facta cum Magnitudine vestra.

Respondit Cęsar Thurcarum. Nos dedimus verbum nostrum Imperiale Ferdinando et seruabimus illud. Non faciemus contra eum bellum, si prius ipse contra nos illud non fecerit. Hoc erit ita. Nonne tu scis quod istis duobus annis nihil mali ipsi fecimus aut fieri iussimus. Ita erit in posterum. Et bono modo placidoque vultu visus est hęc dicere.

Postea iterum incepit Cornelius. Serenissime Imperator. Serenissima regina Maria agit Magnitudini vestrę gratias pro donatione dotis suę facta per eamdem Magnitudinem vestram et exoptat ipsi sanitatem.

Respondit Cęsar Thurcarum. Nos donauimus sibi dotem suam et commisimus Begogly quod eam ipsi faciat dari. Et in hoc non erit dubium. Ipse Begogly ad illud et ad ea quę sunt Ferdinandi, commissionem à nobis habet. Et ea faciet et non aliter.

Sic Cornelius exhibito ipsius Magnitudini et Bassis honore exiuit e cubiculo Cęsaris, deductus per Ionusbeg. Quem Cornelius admonuit dicens

Hęc verba, quę nunc audiuisset ab ore Cęsaris Thurcarum, esse longe diuersa ab iis quę erant anno superiore per Imbrahimum Bassam dicta: et per ipsum Ionusbeg interpretata. Neque Carolum Cęsarem tam impotentem esse sicut ipse Cęsar Thurcarum credat. Neque minis terreri: aut pacem ambire. Tametsi honestam non recusaret. Hęc ita per Cornelium dicta sunt Ionusbeg.

In egressu portę, et violenter pulsus est à Ianidtzaris Cornelius et sui, et barbaris et inconditis vocibus, risu et minis ab illis exceptus, passim inclamantibus, Spaigna, Spaigna, et monstrantibus quod omnes vellent occidere et vlulantibus vt canes. Neque cohibita est barbara illa insolentia à Sawssis qui ipsum comitabantur. Patienter itaque ea tulit Cornelius, quia aliter facere non potuit. Durauit autem ista insolentia vsque trans ędem diuę Sophię, nihil ad ea facientibus Sawssis.

XVIII° die Maii. Iussu Aiazbassę venit ad visitandum Cornelium quidam Sclauus ipsius, natione Slesita, ex Vratislauia, renegatus tamen et ex animo Mahometanus. Et ob id apud dominum suum primus inter gratiosos. Is admonuit nomine Bassę vt bene recordaretur Cornelius verborum heri auditorum ab ore Cęsaris. Quia ipsius verba essent vęracia et firma, et non mutarentur. Et recensuit omnia prout acta erant, dicens dominum suum Aiazbassam ipsi omnia enarrasse, in nullo errans. In quo valde mirabatur leuitatem illius gentis quę famulis suis tam magna negocia crederet. Neque minus heri mirabatur Cornelius quod inter loquendum cum Cęsare tres aut quattuor iuuenes viri, ante portam cubiculi steterant quę aperta erat, et singula quę dicebantur tam diligenter auscultabant, atque ipsimet Bassę. Vnde facile potuit Cornelius comprehendere Cornelius, nihil illic tractari quod secretum maneat, facillimumque esse Venetis et Florentinis omnia quę illic aguntur rescire, quum barbara illa gens omnia habeat vęnalia. Id quod rei euentus postea comprobauit. Nam Franciscanus quidam qui apud Venetos versabatur, ad Cornelium venit, et ei recensuit tam verba Cęsaris quam ipsius Cornelii habita hoc superiore die.

Idem Slesita dixit. Aiazbassam dominum suum dixisse. Qualiter Cęsar Thurcarum finito bello Persico, de quo breui finem sperabat, illaturus esset bellum regi Georgianorum, qui non poterit contra eum inquit durare. Rex Georgianorum.

De Imbrahimo Bassa dixit. Ipsum dici non libenter proficisci contra Mahumethanos ad bellum, sed libentius contra Christianos. Quesiuit Cornelius Quare hoc? Respondit. Aut fingit se hostem Christianis aut libenter tra-

deret ipsis dominum suum in manus cum omni exercitu. Respondit Cornelius. Si talem animum habuisset Imbrahimus Bassa, haud dubie venisset ad conflictum cum Christianis sub Vienna, anno tricesimo secundo.

Respondit Slesita. Forte etiam timebat sibi, ne et ipse in numero esset occisorum. Hanc tamen esse famam de eo. Et maximas habere inimicitias. Hinc non diu duraturum ipsius regimen. Esse fatale domui Othomannorum gubernari ab aliis Sclauis suis. Neminem tamen diu apud eos in gratia manere, sed omnes male perire.

Heri etiam venisse quemdam virum Persam ad Cęsarem Thurcarum qui peritissimus esset viarum quę ducunt in Persidem. Hunc preiturum ante exercitum et viam ostensurum. Quo fore vt hac hieme omnino sit Cęsar Thurcarum Persida occupaturus.

XIX° Die Maii. Barbarossa siue Heyradinus Bassa cum aliquot Mauris de regno Thunisii deosculati sunt manum Cęsaris Thurcarum et ipsi valedixerunt vt breuiter abituri.

Neque pretermittendum iis diebus venisse oratorem à rege Thunisii. Qui obtulit filio Barbarossę, filiam regis sui in vxorem cum bona parte terrę et regni. Barbarossam autem ideo properare vt occupet promontorium Thunisii, vbi scilicet flumen se exonerat in mare, et dicere. Si Rex Thunisii sibi vult amicus esse, facile daturum eum esse ipsi illud promontorium. Sin minus: dicit se illud vi occupaturum.

Idem orator regis Thunisii audientiam habuit et responsum non bonum et sub specie, quod dabitur ipsi vna fusta ad redeundum ad regem suum detineri debebat Constantinopoli, donec Barbarossa veniret ad mare. Et ita detentum iri, ex ore Aiazbassę audiuerat Slesita ille qui precedentia dixit Cornelio. Et euentus etiam comprobauit. Quia dum recederet Cornelius, adhuc ibidem erat orator ille. Et in armanda fusta qua domum redire debebat, tantum promouerat quantum primo die.

Dixit idem Slesita Id quod Cornelius postea ab Aiaz Bassa audiuit: dominum suum Aiazbassam, ipsi hodie dixisse. Iam esse sexaginta quattuor naues Thurcarum in mari rubro contra Portugallenses in quibus sunt aliquot milia bombardarum. Esse enim hinc tormenta ęnea plusquam quattuor milia illuc transmissa.

Contra Portugallenses.

XXII° Die Maii. Venit ad Cornelium D. Aloisius Griti. Excusauit se quod prius non venisset, eo quod semper expectasset occasionem conueniendi magnum Cęsarem, et deosculandi manum ipsius. Quam occasionem nondum

esset adeptus sed crastina die se omnino deosculaturum eam esse. Se interim fuisse cum Aiazbassa. A quo recensita sibi fuissent omnia quę transacta essent die dominico preterito, inter magnum Cęsarem et Cornelium. Se etiam Aloisium misisse schedulam vnam ad magnum Cęsarem. In qua scripsisset latius intentionem Cornelii quantum ad illud attinet quod vellet abstinentiam belli siue inducias facere. Ad quam schedulam Cęsar Thurcarum per aliam schedulam respondisset hoc modo.

Tametsi ipse Cornelius orator forte bono animo et bona intentione procederet, requirendo inducias sub spe pacis secuturę: se tamen Cęsarem Thurcarum satis intelligere, nihil aliud queri per hanc commissionem faciendi inducias, nisi dilationem temporis vt videlicet Carolus Cęsar hanc estatem lucrari possit. Qua intermedia sit facturus apparatum suum. Ideo se Cęsarem Thurcarum ex quo omnia sua in ordine habeat et apparatus sit nolle vllam dilationem.

Et ob id precipue quia promiserit regi Francię fratri suo se missurum esse hac estate exercitum suum. Hanc esse responsionem magni Cęsaris Thurcarum, et hanc datam iri Cornelio. Rex Francie.

Ad quod respondit Cornelius. Si ea responsio sibi daretur, equum esse vt in ea se contentet. Tametsi ab iis quę anno superiore dicta essent valde esset aliena. Carolum Cęsarem se hactenus bene defendisse contra hostes suos. Ne nunc quidem defuturas illi vires aduersus eos qui obesse ipsi cuperent.

Respondit Aloisius Griti. Non semper de defensione cogitandum esse sed aliquando etiam de offensione. Fieri enim sępenumero vt facilius offendatur hostis quam vt ab eo quis se preseruet. Regem Francię multas vbique practicas habere, et pecuniis non parcere. Rex Francie.

Se etiam Aloisium Griti habere literas à ducibus Bauarię scriptas mense Aprili. Quibus scribitur qualiter Lantgrauius Hassię fuisset apud regem Francię. Et quesiuit à Cornelio. Quę est inquit causa dissensionis ducum Bauarię cum Ferdinando rege? Duces Bauarie. Lantgrauius Hassie.

Respondit Cornelius. Se nullam causam scire huius quam diceret dissensionis. Neque putare vllam talem dissensionem inter coniunctissimos sanguine principes esse. Plurima vulgo iactari sed sine fundamento, et ob id indigna quę à se Cornèlio, recenseantur.

Respondit Aloysius Griti. Regem Francię nulla non in parte iacere rete suum ad aliquid capiendum. Iam esse elapsum biennium ex quo Hieronymus Lasky fuisset in Francia, vbi donatus fuit ordine militari regio sancti Michaelis. Rex Francie. Hieronymus Lasky.

*

Quumque rediret ad Ioannem quem ipse regem vocat adduxisse secum aliquot capitula à rege Francię, ab ipso Ioanne comprobanda. In quibus vnum fuit ne Ioannes posset cum aliquo foedus pacemue inire: non accedente consensu regis Francorum. Et ob id vicissim promisisse regem Francię ipsi Ioanni in singulos annos triginta milia ducatorum annuę pensionis et misisse eam pecuniam presentem. Accepto hoc nuncio Ioannes Rex inquit Aloisius Griti, me consuluit. Ego respondi neutiquam hunc tractatum esse acceptandum propterea quod propter eam summam pecunię se faceret Sclauum. Se Aloysium Griti qui non esset rex Francię, tantum posse ipsi Ioanni in singulos annos dare ne id faceret. Sic cum condescendere nollet neque tractatum illum acceptatum esse, neque receptam pecuniam. Quę res inquit male habuit regem Francię: mihique postea per ipsius oratorem est exprobrata.

Hieronymum autem Lasky esse valde inconstantem ait. Verum esse ipsum causam esse quod ego Aloisius inquit me intromisi in negocia Hungarica. Quia cum hic esset et ne obolum quidem haberet: ego ipsum adiuui data ipsi mutuo summa pecunię. Nunc quidem desyderat esse Vayuoda Transyluanię, sed dissentiit cum Ioanne Rege. Ideo ipsi nunc post mortem Banfy Ianus, responsum est ab eodem Ioanne, quod sine me Aloisio qui sum gubernator: non potest illud officium conferre. Scribit autem ad me Lasky rogans pro eo officio. Et viceuersa Ioannes, ne illud alicui conferam priusquam eò peruenero. Ideo ego nunc in Transyluaniam proficiscor. Et postea veniam Budam. Tunc demum significabo Serenissimo regi Ferdinando de aduentu meo, ne videatur res inter nos composita esse. Se enim Aloisium habere mandare omnibus qui in regno sunt Hungarię, tam equitibus qui sunt septingenti pręter famulos: qui soluuntur stipendio Thurcarum quam iis qui in nauibus sunt. Alere enim Cęsarem Thurcarum suo stipendio vltra sex milia hominum in eo regno: et ad ea de suo expendere vltra ducenta milia ducatorum. Neque ex eo regno habere ipsum Cęsarem prouentum vnius obuli. Hinc frequenter propositum esse à Bassis de ponendo Sansacho in Buda: sed se Aloisium semper restitisse quibuscumque potuit rationibus eos deterrendo.

Hungari. Immo me inquit Aloisius voluerunt facere in eo regno Beglerbey sed nolui esse. Nosco enim nationem illam esse malignam et infidam. Et si contingeret Ferdinandum regem habere totum illud regnum, omnino oporteret antiqua illa capita Hungarorum demetere. Alias numquam fore securam pacem quin semper aliquid sint molituri. Sed quomodo Ferdinandus Rex inquit posset illud regnum Hungarię si ipsum haberet: defendere contra Thurcas? Num-

quam enim Thurcę propter multos respectus regnum illud sunt deserturi: sed retinebunt illud quamdiu poterunt.

Respondit Cornelius. Cum adiutorio dei regem Ferdinandum illud regnum bene retenturum esse si modo haberet semel totum. Non enim defuturum auxilium fratris sui Cęsaris Caroli, et aliorum amicorum. Deinde multa loca et passus in eo regno esse qui facile possunt fortificari et muniri, et per hoc impediri introitus Thurcarum, aut saltem eorum conatus frustrari.

Respondit Aloisius Griti. Hoc modo regnum illud seruari non posse. Nam vt maxime munirentur loca et passus: Thurcas nihilominus perpetuis excursionibus regnum illud exhausturos, et in obsidionibus etiam locorum perseueraturos. Ideo inquit cogitandum est de capite inuadendo.

Si Christiani inquit pacem haberent quam facile esset vniuersa Grecia potiri et minore Asia? Inuenirentur centum milia hominum optimorum qui se exercitui Christianorum. Et quare inquit non facit Imperator Carolus veram amicitiam cum rege Francorum: dato ipsi aliquo paruo vt postea magnum aliquid et maximum assequatur?

Respondit Cornelius. Quid vellet illi dare cum ipse Francorum Rex nihil petat? Verum est quod vulgo dicitur ipsum velle habere ducatum Mediolani, et regnum Neapolis, et nescio quę alia. Sed ipsum regem hęc publice non petere. Rex Francie.

Respondit Aloisius Griti. Tu inquit scis res Francorum solum per coniecturas, sed ego scio illas in vęritate, et quomodo se habent. Si daretur filio regis Francię ducatus Mediolani, et crearetur in regem Thuscię quid hoc ad Carolum Cęsarem? Quum presertim regnum illud Thuscię non duraret, nisi ad vitam pontificis.

Respondit Cornelius. Regem Francorum si ducatum Mediolani haberet forte non esse quieturum sed ad vlteriora annisurum. Ideoque bonum esse obstare principiis. Mirari se Cornelium quod Cęsar Thurcarum ipsi dixisset Carolum Cęsarem habere multas terras quas reddere deberet regi Francorum.

Respondit Aloisius Griti. Rem Thurcarum venisse ad summum. Dicere ipsos quod velint. Si autem Carolus Cęsar vellet serium aliquid contra Thurcas facere, opus esse imprimis collecta pecunia, ne exercitus ille aliquid diriperet, sed amicitias incolarum sibi pararet, et ob id deberet esse satisfactus. Hoc enim si principio fieret, statim post omnia haberentur ad manum commeatus, pecunię, in maxima quantitate, et centum milia hominum. Et

qualium? hoc est quam fortium hominum inquit? Et vtinam inquit aliquid solidum fieret contra istos. Ego et corpus et fortunas omnes primus exponerem. Et sum inquit istarum rerum peritissimus, omniaque hęc melius scio ipsismet Thurcis. Et sic facile possem consilium in hac re dare.

Respondit Cornelius. Se sperare ipsum aliquando huius tam insignis facti authorem fore, et largiter cum rege Ferdinando desuper locuturum.

Veneti. Respondit Ita fore. Et de Venetis incipiens sermonem. Dixit ipsos contra classem presentem Barbarossę nihil ausuros. Cęsarem Thurcarum ipsis Venetis mandasse tria ad quę nihildum respondissent. Primum. Vt intra classem suam semper reciperent quinque triremes Turcicas exploratorias eorum quę agerent. Secundum. Vt se declararent vtrius partis vellent esse: vel suę partis hoc est Thurcarum, vel Caroli Cęsaris. Tertium. Vt declarando se velle esse suę partis, in hoc casu non reciperent in portubus suis naues Caroli Cęsaris. Verum esse huc venisse Secretarium ipsorum Venetorum Danielem de Lodouici. A quo cum ego Aloisius quererem cur ad prefata non haberet responsum. Respondisse. Sibi de talibus nihil commissum esse à dominio Venetorum. Quo factum est vt parum abfuerit quin ego inquit capitulationem quam habent cum Cęsare Thurcarum quę in manibus meis fuit: frangerem in partes. Tandem tamen ipsam reddidi. Et sic Veneti sunt in magna perplexitate. Et facile posset Carolus Cęsar ipsos inducere ad bellum contra Thurcas.

Respondit Cornelius. Se audiuisse quod Carolus Cęsar desuper cum illis tractasset, Ipsos tamen nullo modo se voluisse contra Thurcas declarare quantumuis diligenter insteterit.

Respondit Aloisius Griti. Verum id esse, sed alia nunc esse tempora. Et Venetos semper timere ne incepto bello destituerentur. Si autem securi essent quod Carolus Cęsar cum ipsis vellet bellum ad finem deducere, omnino se credere ipsos condescensuros. Et sic iuncta classe inquit quamcumque partem velletis possetis inuadere. Immo caput ipsum facillime caperetis.

Barbarossa. Quod ad Barbarossam attinet. Ego inquit Aloisius ipsum huc vocaui et author fui quod hic honoribus affectus est. Tamen malam gratiam abinde reportaui. Ideoque bene vellem quod ipsi male succederet. Se omnem operam dedisse ne cum tanta classe exiret: sed frustra. Nescire se quomodo acciderit quod multa quę cum Bassa concluserat: secus postea sint transacta.

Ipsum Barbarossam portare quingenta milia ducatorum in pecunia parata. Item nonaginta sex milia quintalium siue centenariorum panis biscocti.

Quorum sexaginta milia hic sumeret. Alia autem triginta sex milia in Necroponto sit accepturus.

Quesiuit postea ab eo Cornelius. Quid noui esset de Sophy Persarum. Respondit Ipsum esse in Corasen regione occupatum contra Tartaros. Habere exercitum paruum quidem sed bonum. Quinquaginta milia lectissimorum equitum ait quibus meliores pro eo numero non possunt inueniri. Ex quibus sunt triginta milia Cataphrattorum tam hominum quam equorum. Item quattuor milia Harchabusariorum optimorum ex Ianidtzaris. Et trecentas bombardas campestres. Has esse vires ipsius Sophy. Verum esse aliquot castella in limitibus defecisse, ad Imbrahimum Bassam. Indeque bona noua haberi. Ita discessum est. Sophy.

Sub hoc tempus intellexit Cornelius causam cur tardasset Griti tamdiu, et quare authoritas eius intantum esset diminuta. Et est.

Principio. Griti vocauit Barbarossam ex Aphrica. Venienti dedit mutuo sex milia ducatorum in auro. Misit eum ad Imbrahimum Bassam. In causa fuit quod tam magnis honoribus fuit affectus. Rediens Barbarossa immemor beneficii: noluit reddere pecuniam Grito, allegans quod ipse in causa esset quod aufugisset Sclauus quidam Flamingus, quem vnice diligebat Barbarossa. Accessit clades Mauri pyratę Alexandrini accepta, per Hieronymum Canalettum prefectum triremium Venetarum. Quę res valde exacerbauit Barbarossam contra Venetos et contra ipsum Gritum.

Accessit aliud incommodum Grito. Solebat enim omnia vectigalia Grecię in manibus habere. Ea: locatione mutantur de triennio in triennium. Mahamuth Celeby qui est Tephterdar hoc est Thesaurarius, conquestus est Cęsari Thurcarum omnia per Gritum occupari. Qui Gritus non solueret huiusmodi datia in pecuniis sed tantummodo in lapidibus preciosis pannis sericeis, et aliis huiusmodi mercibus. Quibus nunc non esset opus quia pecuniis opus esset: ad bella. Ipsum preterea adhuc debere ducenta milia ducatorum. His et similibus querelis quum presertim Bassę duo adiuuarent, effectum est vt ipsius Griti authoritas viluerit. Adeo vt solum ipsi sint relicta datia Constantinopolitana, et remissi sint ad eum multi panni sericei. Et tandem sub egressum Cornelii, coactus est soluere octuaginta milia ducatorum. Ad quę tam cito inuenienda opus ipsi fuit aurum et argenteam omnem supellectilem oppignorare Iudeis. Alias male cum eo actum fuisset. Ipse autem Gritus de omnibus reddidit Imbrahimum Bassam certiorem. A quo responsum diu exspectauit. Quod responsum allatum est presente ibidem Cornelio. Eoque est effectum vt de du-

centis milibus ducatorum, quę eum debere dicebat Mahamuth Celeby, rationem nullam pro tunc reddere cogeretur.

Intellexit etiam Cornelius Barbarossam dixisse Venetis se sufficientem esse profligare regem Hispanię, Francię: Anglię: Portugallię: papam et ipsos etiam Venetos si Cęsar Thurcarum iuberet. Eaque ab ipso dicta esse summo cum contemptu.

Fuisse preterea decretum vt cum Barbarossa mitterentur tres aut quattuor Sansachi, cum pari potestate. Id à bassis statutum. Quod cum audiret Barbarossa, dixisse Cęsari Thurcarum, se dimisso regno suo ad ipsum venisse. Si sibi fideret Cęsar daret sibi soli classem et commissionem. Quia alios de rebus maritimis nihil scire. Sin minus ipsi fideret, permitteret ipsum cum nauibus quibuscum venerat decedere. Tunc magnum Cęsarem dixisse Fiat pro arbitrio et voluntate tua. His verbis nullum bassam ausum contradicere. Et Barbarossam solum totius classis imperatorem factum. Qui cum videret Cęsarem Thurcarum sibi soli commisisse prouinciam dixerit in presentia Bassarum et Cęsaris. Se curaturum vt breui omnes Christiani sint missuri Caratz hoc est tributum ad portam. Idque iureiurando vouisse.

Kalendis Iuniis. Misit Aiazbassa ad Cornelium: solitum Sclauum suum Slesitam qui ipsi nunciaret perendie habiturum ipsum responsum à magno Cęsare. Se tamen mirari qualiter Cornelius quum omnem potestatem sibi traditam à Carolo Cęsare transigendi cum Thurcis habeat, nolit voluntati et requisitioni magni Cęsaris obtemperare. Quę est quod Carolus Cęsar restituat regi Francię terras ademptas et pecuniam. Et quod idem Cornelius pro eo promittat.

Respondit Cornelius. Se omnem potestatem habere ad tractandum cum Cęsare Thurcarum ex parte Caroli Cęsaris et nomine totius Christianitatis, de iis quę essent licita et honesta ipsi Cęsari Karolo et Christianitati Non autem ad consentiendum in ea quę sunt quouis modo illicita aut inhonesta.

Quod ad requisitionem Cęsaris Thurcarum attinet. Illam non esse honestam et Cornelium potius passurum in partes trahi, et extrema omnia subiturum quam in aliquod inhonestum condescenderet. Ita responderet domino suo.

Respondit Slesita Dominum suum satis exspectasse tale à Cornelio responsum et se plurimum ipsi affectum esse. Ideoque se vt fratrem admonere vt se retrahat à seruitiis Caroli Cęsaris, et permitteret ipsos duos Cęsares fa-

cere Nam nihil boni inter ipsos futurum Innuens aliquid magni monstri ali contra Carolum Cęsarem.

Respondit Cornelius se gratiam habere Aiazbassę quod tam sollicitus sit de salute sua, se non spernere ipsius consilium, si modo cum honore suo id facere possit.

Subiunxit idem Slesita. Verba habita inter Aiazbassam et Cassumbassam de ducendo Cornelio ad expeditionem Persicam: sic se nescire quid exinde sequeretur.

Quo audito valde timuit Cornelius et recogitans qualiter Selymus huius pater secum duxisset Berley Barlabas oratorem Hungarię regis Vladislai ad eamdem expeditionem: valde metuebat. Dixitque Slesitę vt id impediret si posset. Diceretque domino suo Cornelium statuisse domi manere pertesum tot laborum, et nolle ad Hispanias proficisci. Id autem ideo dixit vt adimeret ipsis suspitionem quam habebant quod Cornelius deprehensa depopulatione Grecię, ex quo iam milite vacua esset, forte Carolum Cęsarem adhortaretur ad bellum illi inferendum. Recepit se id facturum Slesita et profuit.

De Imbrahimo Bassa dixit Omnino credi ipsum numquam rediturum in Greciam. Innuens aliquid contra ipsum intentari per alios bassas.

Dixit pro Custodia Constantinopolis mansurum esse Sansachum Selistrię qui filiam habet Aiazbassę domini sui. Id quod verum fuit et nunc ibi mansit.

Secundo die Iunii deductus est Cornelius ad portam Cęsaris Thurcarum per Sawssios. Vbi bassas duos inuenit Aiaz et Cassum. Nam Heyradin Bassa siue Barbarossa exiuerat è portu Constantinopolitano vicesima octaua Maii.

Inter prandendum longus sermo fuit de rebus Germanicis de multitudine et magnitudine oppidorum. De regno Bohemię quale esset. Et An Praga esset munita. Et an flumen alio deriuari posset.

Idem Aiazbassa multa cum Cornelio de Sclauo suo Slesita magnifice locutus est dicens esse optimum Thurcam et bene peritum legis. Postea quesiuit à Cornelio an fuisset in Aphrica aut in Tripoli Aphricę. Respondit Cornelius quod non. Tripolis.

Quesiuit postea An Cornelius fuisset Granatę. Respondit Cornelius quod sic. An regnum illud haberet aliquos portus maris. Respondit Cornelius quod haberet aliquot portus. Et statim coniecturauit Cornelius Barbarossam aliquid locutum fuisse de Granata et Tripoli. Granata.

Quesiuit an nihil audiuisset Cornelius de tumultu et seditione quę fuisset in Praga Bohemię? Respondit Cornelius Se nihil audiuisse. Dixit Aiazbassa scriptum esse ex Hungaria qualiter Ferdinandus rex voluisset filium suum instituere in regem Bohemię. Id autem noluisse admittere incolas regni illius. Et ob id tumultuatum esse. Respondit Cornelius Se de iis rebus nihil audiuisse. Neque credere etiam. Plurima ex Hungaria scribi quę non semper sint vęra.

Quesiuit Qualiter Cornelio placeret Cęsar Thurcarum? Respondit Cornelius Videri sibi pulchrum principem. Adiecit Aiaz Non pulchrum solum, Verum et robustum et fortem. Habitum patrem ipsius Selymum pro robusto, sed hunc esse robustiorem. Et Carolus inquit et Ferdinandus fratres quales sunt? Respondit Cornelius. Non adeo proceros et longos esse vt est Cęsar Thurcarum, fortes tamen et bene compactos. Graciliorem esse Ferdinandum, bene tamen vtrumque formatum.

Tunc conuersus ad Cornelium Aiazbassa Et tu inquit prudenter feceris si non amplius ita curras in tam longinquas profectiones sed domi quietus maneas.

Facile intellexit Cornelius ipsum à Sclauo informatum. Quare respondit se eo animo esse vt domi resideat si modo ex hac profectione redire possit incolumis. Neque amplius sibi curę fore res principum.

Talibus colloquiis consumptum est prandium quod fuit solito instructius. Quo finito itum est ad Cęsarem Thurcarum. Cuius manum postquam deosculatus est Cornelius et retraxisset se, resumpto spiritu iussus est dicere.

Incepit ab iis quę anno superiore per Imbrahimum Bassam dicta erant pacem concernentia inter duos Cęsares. Hęc per se relata Carolo Cęsari. Et ob id illum inductum, ad non aspernandam pacem. Ad quam melius faciendam nunc ex re fore si fiant inducię: Aut si id non vellet Cęsar Thurcarum, vt saltem pax fieret conditionalis prout superiore audientia proposuisset.

Regem Ferdinandum petere vt intuitu officii prestiti in facienda illi restitui Corone, vicissim sibi prouideri faceret de regno Hungarię toto aut maiore parte. Neu fidem adhiberet sinistris delationibus quę contra ipsius Maiestatem fierent sed omnino sibi persuadere quicquid ipsi accederet, id filiali ipsius beneuolentię erga ipsum accessurum. Super iis se Cornelium petere à Magnitudine sua benignam responsionem.

Hęc quum à Cornelio dicerentur. Cęsar Thurcarum interrupit sermonem, et ore proprio quesiuit Super iis inquit tu petis responsum?

Respondit Cornelius. Etiam.

Tunc iterum Cęsar Thurcarum. Et tibi dabitur inquit. Et iussit Cornelium iterum dicere.

Incepit itaque rursus ab apprecatione bonę valetudinis nomine Ferdinandi regis: Ab inductione Caroli Cęsaris qua dimisit in gratiam fratris Coronem vrbem. Pro hoc officio petere totum regnum Hungarię. A persuaso Carolo Cęsare propter verba Imbrahimi Bassę ad auscultandum de pace. Hinc satis testatum esse animum Ferdinandi regis erga ipsum Cęsarem Thurcarum patrem suum. Quicquid autem successerit, velle ipsum in pace facta manere.

His dictis Cęsar Thurcarum nihil ad priora respondens.

Bene inquit. Carolus vult pacem?

Respondit Cornelius. Imbrahimus Bassa vester dixit mihi vt ipsum adhortarer et induci facerem per fratrem, ad consentiendum in pacem. Non aspernatur Carolus Cęsar pacem pro tota Christianitate si modo fiat honesta.

Respondit Cęsar Thurcarum. Quomodo vis istam pacem facere?

Respondit Cornelius. De modo illius poterit tractari in sequentibus. Pro nunc si vult Magnitudo vestra quod pro tempore aliquo abstineatur à bello, mari et terra. Ita quod subditi Cęsaris Karoli non noceant subditis vestris et econtra. Ad hoc faciendum ego habeo potestatem.

Aut etiam casu quo Magnitudo vestra nunc intendere velit in pacem conditionalem quę scilicet erit: si modo per Pontificem maximum nostrum et pro tota Christianitate confirmetur: Ad talem pacem faciendam etiam ego habeo potestatem.

Nihil ad hoc respondens Cęsar Thurcarum iterum quesiuit. De Corone quid dicis?

Respondit Cornelius. Ad preces fratris sui Ferdinandi regis, et vt ostendat se non esse tam auidum sanguinis effundendi, neque tam alienum à pace honesta ineunda, Carolus Cęsar vobis Coronem dimisit illesam.

Respondit Cęsar Thurcarum. Ego non curo istam dimissionem. Quia erat vile castellum cuius multa milia habeo similia. Et poteram bene ipsum subuertere. Non debebat abinde exsportasse gentes meas, nec artilleriam, et dimittere muros nudos. Verum est quod ego habeo artilleriam sufficientem, neque alicuius rei indigeo. Et propterea non est alicuius ponderis apud me ista restitutio.

Respondit Cornelius. Serenissime Imperator. Si Griti fuisset in Hungaria Ita quod ego per illam viam venire potuissem, et non fuissem ita de-

tentus tempestatibus in mari, Tunc ego ad eos qui erant in Corone scripsissem et sine dubio aliter fecissent. Sed milites natura sunt insolentes. Quamquam ipsis iussum erat ne quicquam damni ciuitati inferrent.

Respondit Cęsar Thurcarum. Bene inquit. Vis tu nomine tuo promittere quod quando perueneris ad Carolum tu facies ad me remitti illas gentes meas quę sunt ex Corone exsportatę: simul et omnem artilleriam. Tunc ego sum contentus tecum tractare et latius loqui de pace.

Respondit Cornelius. Serenissime Imperator. Ego sum seruitor domini mei cuius mandatum non possum transgredi, neque vlterius promittere quam mihi commissum est. De hoc promittendo non habeo vllam commissionem.

Respondit Cęsar Thurcarum. Bene. Ex quo tu non habes talia faciendi commissionem, vade ad dominum tuum et dic illi. Quod si vult pacem habere mittat ad me hominem suum qui habeat plenam potestatem tractandi et concludendi mecum de omnibus quę ego illi proponam. Ita vt non sit opus vlterius ad Carolum recurrere. Nam modo tu dicis te habere omnem potestatem mecum tractandi. Quum autem aliquid a te peto, tunc tu dicis te nullam commissionem habere ad consentiendum in illud.

Respondit Cornelius. Serenissime Imperator. De talibus rebus quas Magnitudo vestra mihi proposuit, et à me petiit, nihil fuit cogitatum tempore discessus mei. Sed si in isto interim dum hęc nunciantur Carolo Cęsari, vis abstinere à bello terra et mari contra Christianitatem, et iubere tuis ne aliquid damni inferant Christianis: vicissim ego iubebo famulis Caroli Cęsaris vt abstineant ab omni damno subditis vestris inferendo.

Respondit Cęsar Thurcarum. Quando aliquis vult de aliquo tractare tunc debet habere potestatem circa omnia quę illud concernunt exequendi illa et concludendi.

Respondit Cornelius. Carolus Cęsar hanc commissionem vobiscum tractandi mihi dedit non ob aliud nisi quia Imbrahimus Bassa me admonuit vt dicerem ipsi Carolo Cęsari: si huc mitteret: bona media posse haberi ad faciendam honestam pacem inter vos duos magnos dominos. Ne ergo videretur Carolus Cęsar tam sanguinarius esse vt honestam pacem contemneret contentus fuit huc mittere. Sed non credebat quod Magnitudo vestra talia proponere debebat. Non itaque ex se misit huc sed per bassam vestrum inductus medio Serenissimi Ferdinandi regis filii vestri, et meo, qui talia Maiestati ipsius proposui.

Respondit Cęsar Thurcarum. Bassa hec dixit sine scitu meo. Ego de iis non scio. Sed iterum tibi dico: fac quod mittatur aliquis cum plena potestate circa omnia quę ab eo sum requisiturus. Quia Rex Francorum est frater meus et non possum ipsum dimittere. Ipse habuit istis diebus oratorem suum in Halepo cum Bassa: prout mihi scripsit. Et sic quando venerit iste orator Caroli, faciam quod erit presens orator regis Francię fratris mei, et sic duo oratores simul conuenient: et audiemus eos, et videbimus quis ipsorum habet melius ius, et secundum illud poterimus pacem facere.

Respondit Cornelius. Inter Cęsarem Karolum et regem Francię est bona pax et fraternitas. Neque habet Carolus Cęsar aliquas terras quę sunt regis Francię, ob quas debeat coram aliquo: iure contendere. Neque ipsum male tractauit. Ipsi sunt de se inuicem bene contenti.

Respondit Cęsar Thurcarum. Si Carolus non habet aliquas terras à rege Francię bene est: Tamen scribit mihi Bassa meus quod habeat aliquas terras ab eo. Ego et Bassa audiemus vtrumque oratorem qui mittetur. Et hoc est verbum meum.

Volo preterea quod etiam ille orator Caroli habeat plenam potestatem statim faciendi restituere omnia illa quę determinabimus pertinere ad regem Francię sicut tibi dixi superiori die. Quia verbum quod semel profero ex ore meo, debet esse firmum et verum. Et non reuoco illud. Et hoc dicas Carolo.

Respondit Cornelius se ita dicturum esse. Et tacuit aliquamdiu. Postea autem resumpto spiritu, incepit iterum Cornelius et dixit.

Serenissime Imperator. Quid respondet Magnitudo vestra ad ea quę nomine Ferdinandi regis filii vestri proposui?

Respondit Cęsar Thurcarum. Ego semel ore meo dixi et verbum meum non mutatur. Quod si ipse sit in pace Ego ero in pace.

De eo Quod petis de regno Hungarię Illud regnum est meum et in eo regno posui sclauum meum Ianus Kraly, qui nihil potest facere sine me. Ego dedi illi regnum illud et possum ipsi adimere quando volo.

Respondit Cornelius. Serenissime Imperator. Adminus permittat Magnitudo vestra quod si qui sunt subditi in eo regno, qui Ferdinando regi adherere volunt quod ipsi hoc libere facere possint sine indignatione Magnitudinis vestrę.

Preterea Si contingeret Ferdinandum regem filium vestrum cum Ioanne transigere quod totum regnum sibi Ferdinando cederet, vt istam cessionem Magnitudo vestra ratificare et comprobare velit.

Respondit Cęsar Thurcarum. Si Ferdinandus aut Ianus aliquid volunt quod regnum illud concernit, mittat vterque eorum ad portam meam. Quia ego habeo de illo regno disponere et de hominibus illius regni qui omnes sunt Sclaui mei. Ergo de illis se non intromittat Ferdinandus quia ego illud regnum non dimittam. Et replicauit. Illud regnum est meum et contra illud nihil intentet Ferdinandus. Et hoc bis dixit cum indignatione quadam.

Respondit Cornelius. Serenissime Imperator. Forte Magnitudo vestra est male informata contra Ferdinandum regem filium vestrum. Quasi forte aliquid tentauerit contra pacem. Id quod in rei vęritate non ita se habet. Sed econtra inueniet Magnitudo vestra aduersarios filii vestri multa molitos esse quę sunt aliena à pace. Quorum castigatio intuitu solo Magnitudinis vestrę obmissa est.

Interrupit sermonem Cęsar Thurcarum et dixit. Verba non sufficiunt ad istud persuadendum sed oportet quod res et finis hoc doceat. Si nihil facit Ferdinandus tanto melius pro eo. Finis et res ipsa hoc docebit. Id quod Ianus Kraly facit, ex me facit. Quia non audet aliquid facere nisi id quod ego illi iubeo. Et sic caueat Ferdinandus ne aliquid contra ipsum faciat.

Subiunxit Cornelius. Serenissime Imperator. Ob bonum effectum quem fecit Ferdinandus in dimitti facienda Corone ad vsum Magnitudinis vestrę iubeat saltem Magnitudo vestra Aloysio Griti vt habeat ipsum regem Ferdinandum filium vestrum commendatum in regno Hungarię, et in consignanda illi aliqua bona

Respondit Cęsar Thurcarum. Tu cogitas quod ego tam magni facio Coronem. Ego maluissem quod ipsi mansissent intus. Non habeo pro tam magno beneficio sicut tu ipsum facis. Verum est quod habeo aliquantulum pro grato: sed non tantum quantum tu putas (Et satis mansuete hoc dixit)

Postea subiunxit idem Cęsar. Begogly ibit illuc ad Hungariam qui de iis rebus habet commissionem. Ego illi iussi vt non magis vni quam alteri parti faueret sed sit ęquus. Hoc quod semel dixi, fiet et non aliter.

Postea rogauit eum Cornelius vt iubeat Aloisio Griti de dote Reginę Marię restituenda.

Respondit se id semel iussisse et non mutare verbum suum.

Tunc iterum rogauit eum Cornelius vt extra terras suas eum iuberet secure deduci.

Respondit Cęsar Thurcarum. Quomodo inquit? Etiam si tu esses mihi mortalis inimicus, ego tamen te facerem secure conduci. Nunc autem non

dubita. Ego te faciam inter brachia seruorum meorum sanum et ridentem poni in terram tuam. Et non erunt sclaui mei securi de capite nisi reportauerint literas tuas quod sanus et saluus peruenisti vbi voles. Quia tu es seruitor domini tui, et non potes aliter facere quam quod tibi est iniunctum. Et serui mei etiam faciunt quod ego ipsis iubeo. Et valde humaniter hęc locutus est.

Egit gratias Cornelius et exhibito ipsi magno Cęsari honore, salutatis etiam duobus Bassis abiit, deducente eum Ionusbeg interprete. Cui dixit Cornelius. Bene est. Neque bellum habemus neque pacem. Et nunc vos mittitis Barbarossam cum classe. Vicissim Carolus Cęsar non dormit. Quid fiet? Respondit Ionusbeg. Iste exercitus Barbarossę non mittitur contra vos, sed ad alium locum. Respondit Cornelius. Statim notum fore quo tendat. Et forte nunc fuisse talem occasionem bonam pacem faciendi qualis in futurum non habebitur. Mirari se quod magnus Cęsar tam sit addictus regi Francorum. Non debuisse contemni Cęsarem Karolum. Esse enim illis viribus vt estimari possit.

Respondit Ionusbeg. Cornelium audiuisse verba Cęsaris ex ore ipsius quorum non debeat obliuisci.

Ex Hoc Colloquio Cęsaris Thurcarum cum Cornelio, deprehendit idem Cornelius variam ipsius Cęsaris esse naturam. Nam inter loquendum subinde irascitur, subinde iterum fit pacatus et mansuetus. Id autem intelligere potuit. Ipsum estimare regnum Hungarię suum esse. Et breui fore vt alium ordinem in eo ponat. Nisi in tempore prouideatur.

Hoc etiam in egressu portę male mulctatus fuit Cornelius et sui à Ianidtzaris. Qui ipsum magno vlulatu et inconditis vocibus et cachinnis prosecuti sunt. Sed toleranda erant omnia.

Hoc etiam die tractauit Cornelius cum Flamingo quodam Bombardario vt Barbarossam sicubi daretur occasio et ipsius triremem exureret. Dedit illi aliquot ducatos Cornelius ad emendum necessaria pro faciendis artificiis ignis, cum ampla spe si opus perficeret. Id quod promisit se facturum. Nam est bombardarius triremis illius in qua est primus ex amicis Barbarossę nomine Murathagà, et accessum habet ad pulueres bombardicos triremis ipsius Barbarossę. Locutus est et cum duobus aliis sed huic Flamingo confisus est. De quo bonam etiam spem habet.

VIII° Die Iunii. Aduenit Hieronymus Lasky plenus minarum contra Beybeg Hungarum. Quem post duos dies inuenit Cornelius in domo Aiazbassę, dum iret valedicturus prefato bassę. Dixit idem Lasky Lantgrauium Hassię

scripsisse ad se et ad Ioannem Vayuodam, hortando illos ne vllo modo pacem facerent cum Ferdinando rege. Se enim florentissimas copias habere, et bellum statuisse inferre ducatui Wirtenbergensi. Habere Lantgrauium quadraginta bombardas ęneas à rege Francię et ducenta milia scutorum auri. Dum de iis loquuntur Lasky et Cornelius iussus est Cornelius ingredi ad Bassam. Qui post mutuas salutationes dicere incepit. Qualiter Cornelius ex verbis ex ore ipsius Cęsaris prolatis intelligere potuisset quo in statu res essent. Et quid ipse Cęsar dominus suus requireret à Cęsare Karolo. Ea modo nunciaret, et de reliquo sollicitus non esset.

Audiuisti pręterea inquit qualiter magnus Cęsar reconfirmauit Ferdinando regi pacem. Et noli vllo modo dubitare inquit. Quia ipse eam firmiter tenebit modo Ferdinandus Rex illam teneat. Neque de aliquo timeatis. Hęc inquit Tu ipse auribus tuis audiuisti, et verbum Cęsaris est vęrax, neque infringitur. Similiter audiuisti inquit qualiter Begogly vadit ad Hungariam. Ibi omnia bene ordinabuntur. Commenda me regi Ferdinando.

Ad hoc respondit Cornelius. Se libentissime id facturum. Rogare modo ipsum Bassam ne sinistris delationibus et verbis quę de Ferdinando rege dicerentur facile crederet auremue preberet. Plurima enim confingi à quibusdam, quę postea diuersa esse deprehenderentur.

Respondit Aiazbassa. Forte Cornelium ista intelligere de Ianus Kraly. Verum satis potuisse intelligere ex verbis magni Cęsaris domini sui ipsum Ianus Kraly esse sclauum magni Cęsaris domini sui, Neque in minimo ausurum secus facere quam ipsi iuberetur et mandaretur à magno Cęsare. Quare de eo Cornelium dubitare non debere.

Respondit Cornelius. Verum esse Se id de Ioanne Vayuoda intelligere, sed non de eo solo. Sed si forte alii essent qui magnum Cęsarem excitarent contra Ferdinandum regem, ne illis aurem prebere vellet. Hoc autem dicebat Cornelius propter Hieronymum Lasky. De quo sciebat quod esset indubie bellum desyderaturus.

Respondit Aiazbassa. Neminem fore qui magnum Cęsarem excitaret contra Ferdinandum regem, nisi ipse prior bellum inferret. Neque cuiusquam delationibus esse aurem prebiturum. Et super caput meum inquit non erit aliter.

Sed volo te premonere de duobus. Primo. Quod propter enormia mala quę nobis fecit Petrus Crusitz, qui habet castellum Clyssę, nos volumus ipsum punire et castigare. Est inquit Clyssa castellum quoddam quod ipse

Crusitz cum auxilio Venetorum et Papę occupauit, dum nos essemus in vltima expeditione Germanica. Papa enim misit ei duo milia ducatorum. Et Veneti etiam adiuuerunt eum. Tale castrum est Clyssa. Et ipse Petrus Crusitz est magnus et insignis latro, et non seruitor Ferdinandi regis.

Est etiam comes vnus de Szrin Cuius pater fuit nobis tributarius et nunc eo mortuo, filius rebellis, non solum non vult tributa soluere sed multa mala facit subditis magni Cęsaris, occidendo et diripiendo quęcumque inuenit. Hunc etiam intendimus castigare. Et quia subditi Ferdinandi regis qui sunt in confinibus possent, si non essent premoniti arbitrari aliquid contra se fieri: dicas Ferdinando regi ne se de ipsius Petri Crusitz, aut comitis de Szrin defensione impediat, et subditos suos qui in confinibus suis sunt coherceat, ne prefatis latronibus suppetias ferant. Nihil enim ipsis subditis Ferdinandi regis mali imminere sed tantum illis latronibus.

Respondit Cornelius. Si quę mala per prefatos et similes homines fierent: hoc ideo accidere quia non compositis in Hungaria rebus, impune facere quiduis liceat. Quando enim intenderet Ferdinandus Rex ad tales castigandos, eos confestim minitari transitionem ad partem ipsius aduersam. Se Cornelium desuper facturum relationem, rogare tamen ne aduersus honorem Ferdinandi regis aliquid intentetur. Nam Maiestatem ipsius non aliter facturam esse, quam ipsius honori conuenit.

Plurima postea locutus est cum Cornelio de ordinibus Christianorum sed ab ordinibus Thurcarum omnes aliarum gentium ordines prostratos esse.

Respondit Cornelius. Hoc esse in manu dei.

Verum est inquit Aiaz Bassa. Et victorię non à multitudine bellatorum, nec bonitate ordinum, nec armis aut ferocia hominum eueniunt sed ex nutu dei. Tales ordines quales vos Christiani facitis cum peditibus et bombardis fuere etiam facti in Meszyr hoc est Ægypto à Mamaluchis et Tomumbeyo. Et tamen contra Selymum et nos, nihil preualere potuerunt. Facile enim eos ordines nostri perruperunt. Et vidisti inquit et audiuisti de Hungaris quoties illos profligauimus. Qui semper habiti sunt bellicosi inter Christianos et maximi animi.

Respondit Cornelius. Forte Hungaros fuisse maioris animi quam prudentię.

Tandem pro resolutione petiit Cornelius ab eo, vt diceret Hieronymo Lasky qualiter Cęsar Thurcarum pacem haberet cum Ferdinando, et quod nullo modo infringi pateretur illam magnus Cęsar.

Recepit Aiaz Bassa se id facturum. Et quantum ad iter iussit Cornelium bono animo esse. Iussum enim iis esse ad quos attinet vt eum bene tractent. Neque quicquam illi dubitandum nisi de aduersa valetudine. Hoc modo discessum est ab eodem.

Postea locutus est Cornelius cum Baylo Venetorum. Qui se excusauit quod literas Cornelii, non misisset Venetias. Cum eo enim egerat vt literas quas ad Cęsaream Maiestatem et regiam scripserat, vnà cum suis transmitteret. Id quod se facere haud posse propter suspitionem et metum Thurcarum dixerat. Id tamen adiecit Dominos Venetos nihil celare oratorem Cęsaris qui isthic est. Neque vero datum est diu cum eo loqui. Hieronymus autem Lasky tunc statim intromissus est ad prefatum Aiazbassam.

Post cuius Hieronymi audientiam. Venit ad Cornelium Ionusbeg qui officio interpretis functus fuerat tam pro Cornelio quam pro Lasko. Dixit eumdem Lasko conquestum esse contra Ioannem Vayuodam, de ipsius ingratitudine. Multa item locutum contra Beybeg Hungarum. Ipsi autem Lasko dictum esse ab Aiazbassa qualiter Serenissimus Rex Ferdinandus optimam pacem cum Cęsare Thurcarum haberet. Neque ipsum Cęsarem credere iis quę contra Ferdinandum regem dicerentur. Quęsiuisse etiam Aiaz Bassam à Lasko. Quid ageret rex suus Francię? quem tantopere laudare solitus esset. Cur non inuaderet Carolum Cęsarem contra quem tot practicas haberet? Non esse generosi principis per cuniculos agere: sed palam debere inimicitiam et hostilitatem exercere. Hęc ab Aiaz Bassa quęsita fuisse à Lasko. Qui respondisset. Regem Francorum in breui aliquid magnum esse facturum.

Postea conuertit sermonem de Grito. Et dixit idem Ionusbeg Ipsum Aloisium Gritum esse pessimum et scelestissimum hominem. Neque Thurcam neque Christianum. Plurimumque se dolere dicebat quod nemo hactenus fuisset Hungarus tam animosus qui ipsum occidisset. Omnino se sperare ipsum Gritum numquam rediturum esse Constantinopolim. Eamdem spem habere omnes Christianos Thurcas et Iudeos. Ipsum Gritum vęrissime causam esse quod Ferdinandus Rex totum Hungarię regnum non obtinuerit. Nunc ipsum tenere maximam curiam. Conductum ęre suo militem secum adducere. Id quod sine expilationibus et corrosionibus quas vndique facit, ab omnis generis hominibus haud quaquam perficere continuareque possit.

Sibi Ionusbeg, ipsum Gritum optime notum esse. Inuisum illum esse bassis et officialibus maioribus. Apud solum Imbrahimum nonnihil gratia posse. Sed si occideretur inquit Quis vlterius de illo filio meretricis curaret?

Et miramur nos Thurcę qualiter tamdiu substiterit Et quorsum euaserit ferocia Hungarorum quod ipsum non interfecerint.

Hęc et similia contra Gritum plurima locutus est Ionusbeg.

Neque pretereundum. Quod Sansachus Samandrię et Belgradi his diebus Constantinopoli habuit Murath Vayuodam quem preficere voluit equitibus et classi Thurcarum quę est pro tuitione Budę in locum Momyn Vayuodę qui est seruitor Mehemethbeg quondam Sansachi Samandrię, nunc autem Sansachi Moreę. Quod tamen officium: defendente Grito Momyn Vayuodam prefatum, idem Murath obtinere non potuit. Quare et ille pleno ore tonans contra Gritum aperte apud portam et ipsis etiam seruitoribus Griti, qui idem illud postea Cornelio retulerunt: fore vt si in necessitate foret Gritus constitutus in Hungaria, et obsessus à Christianis, vt nullum equitem dominus suus Sansachus Samandrię ipsi subsidio mitteret; Et alia hęc tempora esse quam ea fuere, cum esset Budę obsessus clarissime dixit sine vlla dissimulatione.

In summa A familiarissimis ipsius Griti intellexit Cornelius ipsum summo odio omnibus esse.

Adducere autem secum ipsum Aloisium ad septingentos equites et totidem pedites sed nullius valoris, Grecos, Sutores Cerdones et alios. Quantumuis famam faceret de mille et bis mille item peditibus.

XI° die Iunii Egressus est Cęsar Thurcarum ex palatio suo et conscensa triremi transiit mare ad alteram ipsius Bosphori partem ad locum Scutari, vbi in tentoriis mansit ad decimum quintum diem. Quo die processit vlterius ad expeditionem Persicam.

Hoc etiam die venit ad Cornelium D. Aloisius Griti.

Dela obseruantia et deuotione dal Signor Aluigi Gritti uerso Soa Beatitudine et dele optime dispositione che vostra Signoria dice hauere trouato in lui circa il bene dala Christianita quella ne ha presso singularissimo piacere uedendo uerificarsi il prenostico e iudicio che ella ha sempre fatto di quel Signore il quale e come Christiano e come nato di tal padre, Sua Sanctita si e sempre persuasa che deuese indirizare l'auctorita e credito aquistato per lui in quelle parte al seruicio da dio et beneficio vniuersale della Christianita, come di presente si uede che fa, dil che Vostra Signoria lo conmendara molto in nome de Soa Beatitudine exhortandolo al perseuerare e prometendoli che la perseueranza li partorira appresso a dio et li huomini quel frutto che merita la soa buona e santa intentione e che a tanta bonta e vertu si conuiene, ne altro mi occurre saluo riconmandarmi a Vostra Signoria offerendoli con tuto il mio core se di qua posso seruirla in alcun conto etc. Da Roma ali xiiij di decenbre M D xxxiij

A nostro Signore parrebbe che quando si hauesse venire al ristretto dele pratiche dal acordo si pensase ali modi di assicurarsi dala perseuerantia de essa cumcio sia che per esser noi de natura e Religione tanto diuersi da loro pare impossibile che tal acordo habbi a durare/.

VI.

Schreiben des Renegaten Faik, obersten Truchsessen des zweiten Wesirs Aias, an Wolfgang Sauermann.

Konstantinopel, 20. December (1533.)

Aus dem von Faik eigenhändig geschriebenen, deutsch und türkisch unterzeichneten und mit seinem mit Mürekkeb (türkischer Dinte) mitten in die Nachschrift gedruckten Siegel versehenen Originale im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Zu Seite **119.**

Dem vorsychtygen vnd weysen hern wolfgang Sauerman wonhaftyck czu breslau meynem lyben hern czu kum dyser bryff

Meyn freyntlichen gruß czu vor meyn lyber her wolff Saurman euer gesunt vnd wolgehn erfur ych alczeyt gerne von euch lyber her ych byt euch als meyn lyben hern yr myr nych ver vbel das ych euch benotyck myt dysem bryff dan ych hab kayn bessern hern vnd freyndt nycht czu breslau den man weyt vnd ronde kent als eych Szo byt ych euch als meyn lybe hern yr wolt dyße czedel meyner schwester vber antworten Auch lyber her ys das yr etwas neues wolt haben auß der turkey Szo wyst das der kayser vber das mer czeucht vber dy rotten turken myt funczehen mal hundert taußent man vnd czehen mal hundert tausent kameltyr vnd wend nycht vmb byß das her das landt Sophoy gar eyn nymbt dornoch yß das her gesunt wyder ken constantynopel kumbt Szo gedenck euch nycht

mer dan das her vber das welsch landt wylt fallen dan man baut jczund tausent grosße schyff vnd funf hundert klayne schyff eyn jtlych schyff myt czway hundert rudeln vnd jczunder kumbt seyn son mustafa ken trynapel vnd hut dy land myt vir mal hundert tausent man byß das seyn vatter wyder kumbt vnd wyst das yn dysem sumer groß sterben yst gewest yn der ganczen turkey czu damaschko yst achczyk tausent man gestorben vnd czu Midian dreysyg tausent man vnd czu horeb sechczehen tausent vnd czu constatinopel Sechczyck tausent es yst nycht alles czu der sagen es hat kayn mensch nycht der hort Szo eyn grosß sterben wy yn dem jar yn der turkey gewest yst jczundt nycht mer besunders yß das got gybt das ych wyder gesut kum auß dem Sophoyschen kryck Szo wyl ych euch wyder schreyben wy es czu gangen jst domit seyt got befolen geben czu constantinopel am 20 tag des monad decembrys

اسکی دوست دوشمان اولمز
الفقير الفايق

wyst lyber her das ych bey dem aller gewaltygsten fursten byn yn der ganczen turkey her ajas pascha vnd byn seyn obryster truckſaß
Laus deo ١٥٤٠

Jeronymuß jssykemmer ewer wyllyger dyner

VII.

Instruction Kaiser Karls V. für Cornelius Duplicius Schepper.

Monzon, 24. December 1533.

Aus einem von Johann May für König Ferdinand I. gemachten Auszuge dieser, bereits Seite **3—16** *mitgetheilten, eben nicht sehr verständlichen Instruction, mit der Aufschrift:* Cornelius, *im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.*

Instructio Cornelij Sceperi super ijs quę Sacrę Regię Romanorum Maiestati proponere et cum Turco agere seu tractare debet.

Sacra Cesarea et Catholica Maiestas intellexit relationem Oratorum regiorum et quę illi egerunt apud Imperatorem Turcorum, pariter et sermones et colloquia quę cum Ibraimo Bassa et Gritti habuerunt, quodque Turcus contentus sit facere pacem cum Cesarea sua et Regia Maiestate eaque de causa ipsi Gritti mandatum super ijs agendum dederit, ipsaque Maiestas Cesarea simile mandatum expedire debeat, In quo si difficultas oboriatur, Maiestas Regia se habeat pro Maiestate Cesarea interponere,

Intellexit etiam statum et occurrentias rerum Turcicarum et Orientalium et tenorem literarum Turci et Ibraimi,

Super quibus omnibus Maiestas Cesarea consultauit et deliberauit prout sequitur

Primo quod de inducijs et pace respectiue tractetur quibus durantibus ab omni bello et actu hostili abstineatur, non solum propter Cesaream Maiestatem sed etiam propter totam Christianitatem, cum modis et articulis ipsi Cornelio traditis et Maiestati Regię proponendis,

Quod si vero Gritti venisset libenter videret Cesar, vt Regia Maiestas quantotius ageret cum eo, ad intelligendum mandatum Turci ad tractatum ratione Maiestatis Cesareę habendum expediti, Secundum quod mandatum Maiestas Regia tam super pace quam indutijs procedere poterit, Siue velit in vim spetialis mandati in solam Maiestatis sue Regię personam directi tractare, aut per eos tractari permittere, qui in secundo mandato tamquam Commissarij principaliter nominantur et continentur, quę Maiestati regię presentari debebunt, vt ipsa super ijs secundum rerum exigentiam et iuxta tenorem articulorum agat,

Dicet etiam Cornelius Maiestati regię vt iuxta articulos et literas Maiestatis Cesareę animaduertat in quo statu et conditione sint res Turcicę cum Sophi, et inquirat etiam inclinationem vel propensionem Turci ac quo animo acceperit casum Coronę et quo studio quibusque modis eam recuperare intendat Nam si Turcus iam profectus esset ad illius recuperationem nimis serum fore tractatum existimatur, maxime si pax inter eum et sophi secutura timetur, Quidque etiam Rex Frantie cum Pontifice Marsilie sit locutus ad impediendum bonum publicum.

Et sic Maiestas regia quantotius ad inducias manum apponat vt omnino intercipiatur eruptio Turci hoc anno futura, vtque eo fructuosius et melius ad pacem solidam et perfectam concludendam et assecurandam perueniatur iuxta tenorem articulorum

Et spetialiter Maiestas Regia per media induciarum et pacis aut alia sine omni dilatione viam querat, quomodo possit bene dirigere et perficere negotium restituendę Coronę pro assecuratione et confirmatione rerum Maiestatis suę in Hungaria et assecurando Cesare a Barbarossa et alijs inimicis pro vberiori Maiestatis regię commodo proque maiori contentatione ipsius Turcę, Etiam si postpositis aut reiectis conditionibus prescriptis donanda foret Ibraimo Corona pro consecutione tanti boni quod exinde mutuo et Maiestati sue et Christianitati prouenire posset, Eo tamen semper prouiso, quod pauperes incolę ex eius regionis locis ad Coronam profecti securi manere simul et milites ac gentes Maiestatis Cesareę in ea existentes incolumes saluisque bonis et rebus suis emigrare et inde abire possint et de eorum transitu assecurentur.

Sciat item Maiestas regia quod Cesar scripsit Capitaneo suo Coronę vt illam vsque ad medium mensem Martij vel si obsidionem timere vel expectare non habeat ad finem vsque Martij teneat aut si citra periculum fieri queat quam diu et longius poterit, Nulli tamen se periculo committendo nec vllam obsidionem expectando, vt militibus tam bonis de sua incolumitate etiam caueatur.

Scripsit item Maiestas Cesarea in conformitatem premissorum Capitaneo suo Corone vt Coronam Maiestati regię ad Oratorum suorum requisitionem cedat et resignet ad effectum vt Maiestas regia posthac consignet eam in manus Turci attento quod Cesar illam diutius ex periculis imminentibus et alijs ex rationibus tenere non potest, Quod sic factum maiorem Maiestati regie vtilitatem et paci fructum pariet, ac minorem calumniandi occasionem prebebit aduersarijs minusque etiam honori et reputationi Cesaris nocebit, Qui in Alexandria etiam cum Pontifice taliter conclusit in solam et euidentem Regie Maiestatis commoditatem et bonum.

Preterea dicet Maiestati regię quod etiamsi venerit Griti aut certo sit venturus, nihilominus opus sit (in quantum Maiestatem regiam concernit et promotionem pacis ex cuius dilatione inconueniens aliquod sequi posset) vt Maiestas sua regia mittat Cornelium ad Turciam, qui tamquam Orator Maiestatis Regie et eo nomine maneat per aliquot menses apud Turcum et pro tempore quod bonum Cornelio videbitur, ex quo Turca est contentus vt aliquis Orator illic teneatur, vt si Gritti forte iam aduenerit, secundum inclinationem quę in eo inuenta est et proposita quę tenebit, Cornelius continuet ea prosequi quę videbuntur esse conuenientia ad perueniendum ad prefatam abstinentiam belli et tractatum pacis, et si forte Griti non aduenisset, ad solicitandum aduentum suum ad Regem tam propter bonam voluntatem quam Cornelius poterit dicere Turco et Ibraimo se inuenisse in Cesare ad intendendum ad ea quę sunt pacis quam alia sicut videbitur Cornelio conducere ciuiliter et obseruando reputationem Cesaris honeste,

Sic cum Gritti tractari posset, et ipse quoque Cornelius semper intelligeret, quid et ipse pro rerum occurrentijs tractare deberet, Si vero Gritti venire nequiret, causas quoque absentationis suę perciperet ac item Ibraimo et Griti referret propensam voluntatem Maiestatis Cesareę ad pacem cum Turco habendam quantum cum honore et reputatione Maiestatis suę et commoditate fieri queat

Cornelius celeriter eat ad Turcum et properet neque se a Regia Maiestate retineri sinat propter Aloisium Griti et confectionem induciarum ad tempus quam longius ac ad finem cauendi et impediendi ne Turcus hoc anno exeat contra Christianos, Et si cum Griti de hoc non esset tractatum, omnino tractetur ratione Coronę, quo Cesar hac liberetur, cum ex predictis oneribus et causis Maiestas sua illam longius nec possit nec velit tenere,

Vtile quoque foret omni modo quod Cornelius apud Turcum maneret siue adhuc illic existente Griti siue ad has partes profecto, vt si qua difficultas emergat, Cornelius semper illam tollere seu in bonum finem deducere studeat et secundum dispositionem rerum et temporis agat, et omnes malos conatus contra Christianos a Turco presumptos et eruptionem illius hoc anno caueat et ea tractet quę ad bonum induciarum pertinebunt ac et Cesari et Regi de omnibus Turci occurrentijs et proposito sedulam et bonam explorationem teneat et cuncta significet

Quod si aduentus Griti quasi desperetur poterit Cornelius vigore mandati sui agere quod adhuc veniat Griti ad has partes modis quibus sciet melioribus attento quod hoc reputationi commodum et longe conuenientius erit vt penes Maiestatem Regiam illud fiat quam apud Turcum

Sed si Griti omnino non veniat aut sit venturus, Cornelius de inducijs et pace agat secundum articulos et mandatum quod ei dabitur a Maiestate Regia vltra mandatum Cesaris, quę omnia teneat in maximo secreto et agat iuxta rerum exigentiam

Gratias item agat Cornelius Turco et Ibraimo nomine Cesaris de reseruatis pro Serenissima Domina Regina Maria bonis suis dotalibus, Et eiusdem Maiestatis Cesareę nomine petat a Turco vt se erga Maiestatem Regiam bene gerat quoad totum Hungarię regnum sibi dimittendum Sed hoc non antea quam de pace et conclusione illius sit certus ne vnum cum alio confundatur

Item quod idem Cornelius super literis Credentialibus Cesaris cum Griti tractet et agat vbicunque eum repererit secundum consilium et voluntatem Maiestatis regię

Attendat etiam ne quid apud Gritti agat dicat aut consentiat quod sit contra Pontificem Regem Frantie et alia Capita Christianitatis ac contra ipsum etiam Turcum et Ibraimum, sed omnia cum responso referendi ad dominum suum diluat ne deprehendatur aut culpetur in sermone .

Habeat et bonam curam et diligentiam de perquirendis practicis omnium principum et potentatuum Christianorum et infidelium tam preteritis quam presentibus et precipue de quibus se Ibraimus aliquando dixit exactam habere noticiam, et maxime si possent haberi copię earum literarum quę earum occasione illuc perlatę fuere

Similiter etiam, si oportune se offerat, omnes sermones diluere et confutare studeat qui de Maiestate Cesarea apud Turcum sparsi fuerunt ac si illa Pontificem et regem Frantie male tractasset in captiuitate eorum sed ostendat potius quod Maiestas Cesarea vtrumque honeste et bene tractauerit

In omnibus studeat retinere reputationem Cesaris et Maiestatis Regię tamquam vtriusque causę plurimum profuturam

Et quamprimum ad Constantinopolim venerit omnes rerum occurrentias Capitaneo Corone significet similiter et Maiestasi Cesareę perscribat

Super honorario si interrogatus fuerit Excusando se dicat Maiestatis regię Oratorem esse propter ea quę Maiestas sua regia sibi iniunxit et sicut in hoc erit etiam consilium et mens Maiestatis suę Regię

Conditiones Pacis.

Articuli et modi quibus (et non alijs) ad tractationem Oratorum regiorum penes Turcum Ibraimum et Griti interpositam Maiestas Cesarea conclusit agere cum Turco.

Primo quod talis tractatio omnino cum Maiestate regia per ipsum Griti fiat sicut propositum fuit, Quod Maiestas Cesarea fore existimat tum melius tum honestius presertim cum intelligat Gritti ad hoc esse idoneum atque voluntarium quodque hoc modo possit rem melius et strictius agere

Et ad hunc finem Cesar expediri fecit duo mandata, videlicet vnum in personam Maiestatis regię aliud autem in personas Electi Londensis et Cornelij vt coniunctim agant prout Maiestati regie placuerit et visum fuerit expedire vno vel alio modo

Videretur autem melius essė per Londensem et Cornelium tractari quam per Maiestatem regiam ex quo Griti non est ęqualis Maiestati regię, idque minus onerosum foret apud Turcum si durius aliquanto succederet tractatio, minusque tunc succensere possent Hungari Oratoribus Cesaris quam si econtra fiat Saluo tamen consilio Maiestatis regie sed non aliter quam secundum continentiam articulorum presentium

Vel si Maiestati suę regię videatur esse consultum quod isti non habeant facultatem concludendi sine prescitu et consensu Maiestatis suę, fiat hoc quoque, vt Maiestati sue cedat honor et gratiarum actio si res bene vertat

Et quia tempus breue est et ver appropinquat et Turcus in magna constitutus est preparatione et apparatu, bonum esset rem longius non differre, atque ideo necessarium est cito intelligere et scire mandatum Griti datum vt hoc anno caueatur ruptura et motus Turci in Christianitatem

Casu quo Griti habuerit plenum mandatum statim et indilate cum eo super inducijs faciendis tractetur et concludatur, per quod fiet aut sequetur etiam pax et sumptus preparationis predictę in tempore intercipientur

Inducię ad annum concludantur et subito transeant in effectum quibus caueatur expresse quod nemo ijs durantibus inuadatur aut damnificetur Eęque inducię æque bene vt pax assecurentur cum medijs sequentibus

In earum etiam indutiarum confectione fiat mentio pacis vt interea sequatur et nulli vis aliqua vel terra vel mari per Turcum et suos inferatur quod et Cesarea Maiestas pro se et suis similiter se facturam esse promittet

Casu quo Turcus velit Cesaream Maiestatem promittere pro Pontifice et alijs potentatibus Christianis, Significandum erit Turco quod nullus eorum quicquam tentabit de hoc sine auxilio Maiestatis Cesareę, Quibus hanc practicam Maiestas sua significare noluit nisi prius sciret mentem et animum Turci, Sed quod de hoc etiam poterit certa notitia postea haberi

In pace comprehendantur Cesarea Maiestas totum Imperium omnia regna et dominia Cesaris, Pontifex et Sedes apostolica omnesque et singuli principes et potentatus Christiani qui in spatio vnius anni volent aut poterunt in eam intrare et sub ea comprehendi

Item quod pax constituatur et fiat ad vitam vtriusque domini videlicet Maiestatis Cesareę et Turci Cum hoc tamen quod Sanctissimus dominus noster eam approbet alioqui Cesar tam longam pacem acceptare non poterit Idque etiam citra grauamen Turci fieri posse videtur

Et quatenus Pontifex in pacem istam consentiat Cesar etiam promittit eam seruare velle cum suis regnis et prouintijs et cum alijs quoque potentatibus qui in eam intrare voluerint tractari poterit, Si qui vero in ea includi noluerint, ij tamen parum obesse poterunt Turco, maxime si cum Cesare et Maiestate regia tamquam vicinis terra marique potentioribus pacem habeat

Econuerso quod pax ista Turcum ligare non debeat, Sed nihilominus teneatur eam obseruare erga Maiestatem Cesaream Similiter et Cesar eam teneat vel obseruet Et sub hoc quoque intelligantur inclusi et comprehensi qui in pacem intrare intendunt

Si vero Cesar aut Turcus pacem vlterius obseruare nolint, tenebitur alter alteri post lapsum triennium per quod pax durare habebit non citius quam ante annum a die abrenuntiationis seu publicationis factę computandum illam abrenuntiare et hoc significare,

Si autem Turcus nolit acceptare pacem sub duabus conditionibus a Cesare oblatis, Referatur ei causa quare Maiestati sue Cesareę tamquam capiti Christianitatis non competit alijs modis et medijs pacem inire et concludere,

Et si contingat pacem concludi non debebit ad alias conditiones procedi, velut de

mercimonijs hinc inde in prouintias vnius et alterius exercendis aut mutuis auxilijs alteri per alterum ferendis ex quibus maiora damna quam commoda sequi possint, Quod ideo pax fiat pura et secura sine vlterioribus conditionibus

Item quod sic assecuretur etiam pax ne se Turcus cum Lutheranis vel alijs occulte vel manifeste immisceat nec eis assistat neque opem ferat

Item quod Turcus ex iure pacis nullas practicas contra Maiestatem Cesaream et Christianitatem suscitet aut faciat ad irritandum et impediendum vnitatem Christianorum

Quodque Turcus promittat et astringat Barbarossam ceterosque pyratas sub eo constitutos ne quid contra Maiestatem Cesaream eiusque dominia et Christianitatem attentent aut faciant Verum si Maiestas Cesarea quid contra eos faciat vel presumat, quod eis Turcus eo tunc nullam assistentiam vel secrete vel publice directe vel indirecte vel cum pecunijs gentibus subsidijs tormentis aut alijs ferat aut subueniat sed in hoc Maiestatem suam magis respiciat quam pyratas

Ne vero pax ista propter hunc de pyratis articulum perturbetur, potius dimittendus erit idem articulus (si aliter fieri nequeat) et suscipienda pax cum Turco cum alijs modificationibus prescriptis

Si contingat aut intelligatur Turcum desyderare strictiorem intelligentiam cum Maiestate Cesarea, Studeat hoc Maiestas regia ab ipso Griti et sub quibus modis et vijs hoc fieri debeat intelligere Relatura rem omnem ad Maiestatem suam Cesaream

Similiter etiam Maiestas regia ab eodem Griti inuestigare laboret practicas omnium potentatuum Christianorum cum Turco factas quarum ipse habet notitiam

Caueat etiam Maiestas sua regia ne se quoquo pacto nimium exponat aut aperiat in causis tangentibus Turcum Ibraimum Bassam et Venetos, cum presupponendum sit Griti quoque non paruam habiturum diligentiam vt et ipse aliqua exploret

Curet etiam Maiestas regia in tractatu pacis omnem Maiestatis Cesareę reputationem conseruare et retinere quantum vnquam fuerit possibile

Vtatur etiam Maiestas sua regia Corona pro bono suo quo fieri poterit maiori quantum temporis angustia permittit et hoc secundum tenorem literarum Maiestatis Cesareę datarum ad Capitaneum suum Corone Viceregem Sicilie et Oratorem Rome agentem sicut Maiestas regia intelliget a Cornelio

Item habeat Maiestas regia curam et aduertentiam an prior pax debeat innouari vel in pristino statu suo permanere, Putatur tamen melius esse ad cauendum multa inconuenientia vt in priori conditione persistat cum illa cum scitu Pontificis sit conclusa

Vt Electus Londensis aut qui cum Griti agent, confidenter et fideliter agant vt sequantur multa bona ex pace presente

Maiestas regia quantotius expediat Cornelium siue Griti venerit siue non, et Cornelius dimittat Maiestati sue regiæ copiam instructionis Cesareę

Et si per viam ei obuiaret Gritti, debebit illi res istas referre et declarare secundum apparere Regis

Credentiales etiam in personam Episcopi Londensis directas Cornelius hic relinquat

VIII.

Beglaubigungsschreiben Kaiser Karls V. für Cornelius Duplicius Schepper an Sultan Suleiman I.

Saragossa, 31. December 1533.

Aus einer Abschrift von der Hand A. Perrenin's, kaiserlichen Secretärs, im k. k. geh. Haus-Archive.

Serenissime et potentissime princeps/ Tam ex litteris serenitatis vestre ad nos perlatis/ per spectabilem fidelem Cornelium duplicium scepperum consiliarium nostrum et serenissimi principis et domini Ferdinandi regis futuri imperatoris romanorum etc. fratris nostri quam eiusdem cornelij relatu certiores redditi sumus quod pax sit prefato serenissimo regi fratri nostro cum serenitate vestra/ ita vt quieta tranquillaque sit futura vicinitas conquiescente omni armorum strepitu/ Et cum eiusdem pacis artes bellorum incommodis semper pretulerimus neque vmquam nisi inuiti ad ea ipsa descenderimus pergratum nobis fuit illud idem serenitati vestre ex sua magnanimitate inesse intelligere/ quam non possumus ob ipsam non vehementer laudare/ magnique facere/ atque ad ea que bonus princeps ex officio erga alium honeste prestare potest/ nos beneuolos significare/ prout latius intellectura est prefata serenitas vestra ex prenominato cornelio duplicio sceppero/ cui nomine et ex parte prefati serenissimi fratris nostri Ferdinandi regis ad serenitatem vestram proficiscenti iniunximus/ vt nostro quoque nomine nonnulla eidem significet et exponat/ in quibus eidem cornelio plenam et integram fidem serenitas vestra atribuere velit/ Quam pro Dei omnipotentis nutu et voluntate sanam et incolumen superesse cupimus/ Datum in ciuitate nostra cesarea augusta vltimo die mensis decembris/ Anno domini nostri Iesu Christi millesimo/ quingentesimo trigesimo tercio/.

Serenissimo et potentissimo principi domino Solymanno Sciach/ sultano cesari thurcarum asie et grecie domino egipti sirye caramanie mesopotanie arabie armenie etc·/.

IX.

Beglaubigungsschreiben Desselben für Denselben an den Grosswefir Ibrahim.

Saragossa, 31. December 1533.

Aus einer Abschrift von der Hand A. Perrenin's, im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.

Illustrissime et clarissime vir/ Tam ex litteris serenissimi et potentissimi cesaris thurcarum/ et dominationis vestre/ quam ex relatu spectabilis fidelis Cornelij duplicij scepperi consiliarij nostri et serenissimi principis domini Ferdinandi regis futuri roma-

norum imperatoris fratris nostri/ certiores redditi sumus/ quod pax honesta sit prefato serenissimo domino Ferdinando regi etc. cum prenominato serenissimo et potentissimo cesare vestro/ Qua in conficienda principaliter interuenerit opera prefate dominationis vestre/ Exposuit itidem nobis prefatus Cornelius mansuetudinem ingenij eiusdem dominationis vestre et quantum a profusione sanguinis humani et incommodis bellorum abhorreat/ plurimaque alia de prudencia dexteritateque vestra que haud dubie faciunt vt mirificam oppinionem de eadem dominatione vestra conceperimus/ eiusdemque auctoritati et amplitudini plurimum faueamus/ atque ob id magis quam nobilissimis maioribus eamdem dominationem vestram ortam esse/ et pietatis interim opera plurima non intermisisse audiamus/ Quare redeunti ad vos prefato cornelio iniuncximus vt de nonnullis nostro nomine cum cesare vestro et cum dominatione vestra ageret et tractaret/ in quibus illi plenam fidem dari velimus/ Id adiungentes in cuiusquam contumeliam nos nichil agere scribereue solitos/ sed cum amicis ne officio vinceremur cum aduersarijs placidius mitiusque quam potuissemus semper transegisse neque quicquam vmquam a nobis pretermissum esse quod officij sit humanissimi principis et iuris gentium obseruantissimi id quod dominationi vestre significatum esse voluimus/ Quam pro nutu et voluntate Dei omnipotentis rectissime valere optamus/ Datum in Ciuitate nostra Cesarea augusta vltimo die mensis decembris Anno domini nostri Iesu Christi millesimo quingentesimo trigesimo tercio/.

Illustrissimo et clarissimo viro domino Imbrahino
Basse supremo consiliario Cesaris turcarum eiusdemque gubernatori et campiductori etc./.

X.

Beglaubigungsschreiben Desselben für Denselben an Ludwig Gritti, Statthalter Johanns von Zápolya in Ungern.

Saragossa, 31. December 1533.

Aus einer Abschrift von der Hand A. Perrenin's, im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.

Illustris et generose sincere nobis dilecte/ Tam ex litteris serenissimi domini Ferdinandi romanorum etc. regis futuri imperatoris quam ex relacione spectabilis fidelis cornelij duplicij scepperi consiliarij nostri prefatique domini Ferdinandi etc. certiores facti sumus de singulari prudencia et ingenua dexteritate dominationis tue in rebus gerendis in hijs etiam que ad sanctam fidem catholicam reipublice christiane quietem et tranquillitatem attinent/ deque eiusdem desiderio et affectione/ erga nos prefatumque serenissimum regem fratrem nostrum/ quod nobis sane fuit auditu gratissimum atque hoc ipso nomine prefate dominationi tue vehementer afficimur/ prout eadem clarius intellectura est ex prefato cornelio/ Cui preter ea que ex parte prefati serenissimi regis fratris

nostri ipsi iniuncta sunt nostro quoque nomine commisimus nonnulla dominationi tuę exponenda/ in quibus plenam ipsi Cornelio fidem dare poterit/ eaque omnia de nobis persuadere et expectare que de christiano cesare/ et erga benemerentes grato principe sperari possunt et debent Nos enim tales hactenus fuimus/ et futuri sumus Datum in ciuitate nostra cesarea augusta vltimo die mensis decembris Anno domini millesimo/ quingentesimo trigesimo tercio/.

Illustri et generoso domino alóisio gryti etc. cesaris thurcarum consiliario et supremo agenti etc./.

XI.

Beglaubigungsschreiben Desselben für Denselben und Johann von Weze, erwählten Erzbischof von Lund und Bischof von Roeskilde, an Ludwig Gritti.

Saragossa, 31. December 1533.

Aus einer Abschrift von der Hand A. Perrenin's, im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.

Illustris generose sincere nobis dilecte/ Cum audierimus dominationem tuam ab imperatore turcarum destinatam esse ad conueniendum cum serenissimo principe domino Ferdinando rege romanorum futuro imperatore etc. iniunximus et commisimus nonnulla reuerendo deuoto Iohanni Electo Archiepiscopo Lundensi/ Episcopo Rostryldensi/ et spectabili cornelio duplicio sceppero Consiliarijs nostris et eorum cuilibet nomine nostro prefate dominationi tue exponenda/ in quibus non aliam fidem prefatis dari cupimus quam nobismetipsis si presentes essemus prout prefatam dominationem tuam facturam omnino putamus/ Eandem bene valere optantes/ Ex ciuitate nostra Cesarea augusta vltimo die mensis decembris/ Anno domini millesimo quingentesimo trigesimo tercio/.

Illustri et generoso domino aloisio gritti consiliario imperatoris turcarum et eiusdem supremo agenti etc. sincere nobis dilecto/.

XII.

Schreiben Desselben an Johann von Weze.

Saragossa, 31. December 1533.

Aus einer Abschrift von der Hand A. Perrenin's, im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.

Reuerende et deuote fidelis sincere dilecte/ Ex spectabili fideli Cornelio duplicio sceppero Consiliario nostro intelleximus quanta fide integritate diligenciaque negocijs

nostris tibi commissis intenderis et intendas/ Exposuit idem res particulares tuas summa cum affectione erga te/ ad quas agendas/ et fuimus semper et erimus affecti/ Nam idipsum seruicia tua fidelia nobis prestita merentur/ Quorum non erimus immemores/ Et quoniam nonnulla ad serenissimum et potentissimum principem dominum dominum Ferdinandum romanorum hungarie bohemie etc. regem fratrem nostrum charissimum scripsimus nonnulla item iniuncximus prefato Cornelio duplicio sceppero tibi exponenda/ que ab eodem serenissimo rege fratre nostro tibi dicentur et iniungentur/ ita te ea exequi cupimus et volumus quemadmodum hactenus executus es/ et in ijs te gessisti/ prout omnino te facturum confidimus/ Reliqua ex prefato cornelio intelliges/ Datum in Cesarea augusta die vltimo mensis decembris anno domini millesimo quingentesimo trigesimo tercio/.

Reuerendo deuoto fideli sincere dilecto Iohanni de Weze Electo Archiepiscopo Lundensi/ Episcopo Rostryldensi/ consiliario nostro etc./.

XIII.

Schreiben König Ferdinands I. an Hieronymus von Zara.

Prag, 9. Februar 1534.

Aus dem Concepte Johann May's mit der Überschrift: Sara, *im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Die Antwort unter Nr. XXVI.*

Ferdinandus etc. Egregie fidelis dilecte. Cum inpresentiarum ardua quedam negotia sint prę manibus apud Cesarem Turcorum agenda et obeunda quę per te velut eum qui rerum istarum orientalium non paruam modo notitiam gerit, personaliter et omnino velimus expediri, Teque antea in similibus et quibuscunque alijs semper obedientem et promptum inuenerimus, et nunc quoque non minus obedientem fore et debere credamus, presertim cum tantum vię compendium et commoditas tibi ex Sancto Vito offerantur, Idcirco tibi omni serio et studio iniungimus, vt visis presentibus literis nostris te ad iter hoc propere ingrediendum adornes, et cum nauigio ad hoc apto et idoneo ceterisque rebus ad viam necessarijs et requisitis ita prępares et instruas, vt quando Spectabilis fidelis nobis dilectus Cornelius Dupplicius Scepperus Cesareus et noster Consiliarius cum literis et instructionibus tam Cesareę et Catholicę Maiestatis quam nostris istuc et ad te peruenerit (quod intra paucissimos dies certo et infallanter est futurum) nihil aliud restet aut supersit agendum, quam quod ambo simul eodem momento temporis nauigium ascendatis et dei nomine eò quo vobis commissiones et literę tam Cesareæ quam nostræ viam dabunt eatis, et nihil prorsus in eo differatis, in quantum vobis et nostra et vestra totiusque Christianitatis salus curę et cordi erit, vestrumque ipsorum etiam honorem commodum et prosperitatem amatis, prout vos etiam pro solita et indubitata fide in

nos vestra facere decet et haud dubie facturos esse confidimus, Sic enim fore speramus, vt, preterquam quod nobis hac tempestate rem vix gratiorem facere possis, quam si ad iussum nostrum ad locum predictum eas, hoc tibi quandoque honori non exiguo parique commodo et incremento cedat, vnde nos oblata tam ampla occasione merito possimus (vti et prona voluntate intendimus) antiqua et priora tua seruitia simul et hec noua quę a te expectamus offitia omni gratia et munificentia nostra regia recognoscere et compensare,

Pecuniam vero tam ad preparationem nauigij et rerum predictarum quam ad iter erogandam tibi cum eodem Cornelio destinabimus indubie. De quo te certiorem esse voluimus. In premissis autem omnibus seriosam et expressam atque etiam omnimodam executurus es voluntatem nostram. Datum Pragę nona Februarij 1534.

XIV.

Schreiben Desselben an Denselben.

Prag, 11. Februar 1534.

Aus dem Concepte Johann May's im k. k. geh. Haus-Hof- und Staats-Archive.

Ferdinandus etc. Egregie fidelis dilecte. Ex alijs literis nostris de nona huius tibi missis abunde iam percipere potuisti, quantopere velimus te propter negotia nostra ad Turcorum Cesarem vnacum Spectabili fideli nobis dilecto Cornelio Dupplitio Sceppero celeriter ire et proficisci, Et quia certo nobis pollicemur te ad talem requisitionem nostram omnino et citra vllam excusationem iturum, Teque huic voluntati ac iussioni nostre nec posse nec velle neque etiam debere refragari, presertim cum ex Sancto Vito vbi nunc agis, maior eundi commoditas tibi sit oblata, rerumque istarum orientalium notitiam modo non paruam habeas ex quibus simul et gratiosa seruitiorum tuorum tam preteritorum quam istorum recordatione vtilitas non modica cum honore tibi quandoque sit speranda, Te ideo denuo maiori quo possumus serio et studio requirimus vt pro nostra in te gratia proque in nos fidei tuę debito, ac in premissorum contemplationem et quantum tuam ipsius salutem amas ac nostra et totius reipublicę Christianę commoda cupis et desyderas, te protinus et absque mora (si modo ad priores literas nostras non fecisti) cum nauigio omnibusque rebus ad iter necessarijs et requisitis prepares et adornes, sicque omnia instruas et dirigas, vt veniente prefato Cornelio qui iam iam aderit eodem tempore et hora quasi nauigium cum eo conscendas et ad locum destinatum proficiscaris ac tibi et ipsi per instructionem nostram iniuncta et commissa exequaris, De quo sic futuro certam et firmam fiduciam habemus neque quicquam de eo dubitamus idque erga te omni posthac etiam gratia nostra regia recognoscemus. Datum Prage 11 Februarij 1534.

XV.

Schreiben Desselben an den Freistaat von Ragusa.

Prag, 11. Februar 1534.

Aus dem Concepte Johann May's mit der Überschrift: Ragusinis, *im k. k. geh. Haus-Archive.*

Ferdinandus etc. Nobiles et prudentes fideles dilecti. Redeunt ad Imperatorem Turcorum de commissione nostra Spectabiles fideles nobis dilecti Hieronymus de Sara Capitaneus noster in Sancto Vito terrę Fluminis Nemorumque nostrorum in Istria Foro Iulio et Carsia Prefectus ac Cornelius Duplitius Scepperus Consiliarij et Oratores nostri, Qui si forte aut alter eorum viam suam ad vos sument aut per Ciuitatem istam ibunt secundum quod illis commodum et bene visum fuerit, Vos harum serie studiose requirendos duximus, quatenus nostri contemplatione et in vim mandati vobis a prefato Imperatore de similibus aut alijs Oratoribus ac hominibus nostris isthac transituris haud dubie facti et insinuati, prefatos Oratores nostros vel eorum alterum quem ad vos declinare contigerit cum nauigijs ceterisque rebus quibuscunque quibus opus habebunt aut propter quas offitium vestrum implorauerint vt iter hoc suum eo melius perficere et commodius transire valeant prouidere seu prouideri mandare ceteraque omnia erga eos vel alterum eorum facere et fieri curare debeatis, quę ad promotionem et accelerationem presentis legationis nostre conducere et conuenire posse conspexeritis, Sicut vos et nostri et dicte commissionis intuitu facere decet et facturos esse nobis persuademus, Nostram in eisdem expressam et bene gratam executuri voluntatem. Datum Pragę 11 Februarij 1534.

XVI.

Schreiben Desselben an Hieronymus von Zara.

Prag, 13. Februar 1534.

Aus dem Concepte Johann May's mit der Überschrift: H. Sara, *im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Die Antwort unter Nr. XXVI.*

Ferdinandus etc. Egregie fidelis dilecte. Inclusas literas nostras ad Laurentium Canturych sonantes prepropere et quam celerrime potes per dies et noctes a te mitti volumus et iubemus, Qui si cito ad te vel Spectabilem fidelem nobis dilectum Cornelium Duplitium Sceperum Consiliarium et Oratorem nostrum iuxta voluntatem nostram venerit, et forte quod non credimus se difficilem exhibere voluerit, fac vt negotium sibi a Cornelio committendum qua in nos tenetur fide peragendum assumat et assumptum exequatur, Verum si forsan non possit neque veniat aut nolit hoc agere, curam habeas bonam et inquisitionem de alia persona ad idem negotium perficiendum idonea et fidata ac illam tibi et Cornelio loco ipsius Canturich adiungas, Nam certo et indubitato nobis

adhuc vigore literarum nostrarum prius tibi super ijs destinatarum persuademus sic infallanter fore, vt cum Cornelio eas, et tibi commissa perficias, Curabis autem vt et tu te subito vie committas et Cornelium quoque ad iter maturandum et rem accelerandam vrgeas et instiges, Id quod te pro solita in nos fide et obseruantia tua et bene seruiendi studio indubie facturum esse confidimus, Nostram in eo omnimodam et seriosam executurus voluntatem. Datum Pragę 13 Februarij 1534.

XVII.

Schreiben Desselben an Lorenz Kanturitsch.

Prag, 13. Februar 1534.

Aus dem Concepte Johann May's mit der Überschrift: Canturych, *im k. k. geh. Haus-Archive.*

Ferdinandus etc. Egregie fidelis dilecte. Cum aliquoties te ad seruitia nostra promptum obtuleris, ac nos intellexerimus te cupere, vt in rebus tibi quandoque proficuis et honorificis opera tua vtamur, iamque se eius rei offerat occasio sicut a Spectabili fideli nobis dilecto Cornelio Duplitio Scepero Consiliario nostro in Sancto Vito terrę Fluminis penes Capitaneum illius Egregium Hieronymum de Sara etc. existente aut nunc nunc inibi futuro latius et coram intelliges, Idcirco fidelitati tuę harum serie strictissime committimus et mandamus, vt mox visis presentibus te absque omni mora, et quam celerrime potes per dies et noctes ad iamdictum Sancti Viti oppidum seu illius Capitaneum Hieronymum de Sara conferas et ab eodem Cornelio cui te in legatione per ipsum obeunda in ministrum adiunximus intelligas ac percipias ea quę nostro nomine tibi committet agenda ac ad locum quem tibi designabit recipias et iussa nostra prout tibi dicet et iniunget nostro loco et vice qua debes ac scis et potes fide et fidelitate facias et exequaris, neque te quicquam in hoc auocare vel impedire sinas inquantum nos reuereris et obseruas, Nostram in eo seriosam et omnimodam executurus voluntatem. Datum Pragę 13 Februarij 1534.

XVIII.

Vollmacht Desselben für Hieronymus von Zara und Cornelius Duplicius Schepper.

Prag, 13. Februar 1534.

Aus dem Concepte Johann May's mit der Überschrift: Mandatum pro H. de Sara et Cornelio, *im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.*

Ferdinandus etc. Recognoscimus et tenore presentium profitemur Quod nos singularem gerentes fidutiam de fide integritate prudentia rerumque agendarum industria dexteritate et experientia multiplici quibus Spectabiles fideles nobis dilectos Hieronymum de Sara Capitaneum nostrum in Sancto Vito terre Fluminis nemorumque nostrorum in Istria Foro Iulio et Carsia Prefectum ac Cornelium Dupplitium Sceperum Consilia-

rios et Oratores nostros preditos esse cognouimus, Eosdem ideo Hieronymum et Cornelium animo deliberato sponte et ex certa nostra scientia omnique meliori modo via iure causa et forma quibus magis melius et efficacius de iure potuimus et debuimus ac possumus et debemus fecimus constituimus creauimus nominauimus et deputauimus prout tenore presentium facimus creamus constituimus nominamus et deputamus nostros veros certos legitimos et indubitatos procuratores actores factores negotiorumque nostrorum infrascriptorum gestores et mandatarios spetiales et generales ita tamen quod spetialitas generalitati non deroget nec econtra Dantes et concedentes eisdem Hieronymo et Cornelio vel alteri eorum in euentum mortis vel infirmitatis aut casualis vel insperatę absentię alterius plenam facultatem autoritatem et potestatem nomine et loco nostro et pro nobis cum Serenissimo et potentissimo principe domino Soleymanno Imperatore Turcorum ac Asię et Gretię etc. patre nostro charissimo suisque Consiliarijs Mandatarijs et Commissarijs quibuscunque quos Magnitudo sua ad hoc duxerit eligendos aut deputandos coniunctim vel diuisim aut in solidum agendi proloquendi tractandi et concludendi omnemque hunc tractatum et cuncta eius condependentia cum modis et medijs quibus opus et necessarium ac vtile honestum et expediens fuerit firmandi et assecurandi, ita tamen quod per hanc tractationem pax perpetua iam antea per nos cum Magnitudine sua inita et facta in nulla sui parte diminuatur aut inualidetur sed potius si fieri queat melioretur et corroboretur, omniaque alia et singula faciendi et exequendi quę nosmet faceremus et exequeremur si premissis omnibus et singulis presentes et personaliter interessemus, etiam si talia forent quę mandatum exigerent magis spetiale quam presentibus est expressum, Ponentes idcirco eosdem Consiliarios et Oratores nostros (quoad premissa) in locum et vicem personę nostrę, Promittentes etiam et pollicentes in verbo nostro regio nos omnia et singula per eosdem Consiliarios et Oratores nostros vel alterum eorum modo et forma quibus supra in premissis vel circa ea prolocuta acta tractata et conclusa firmiter et inconcusse obseruare ac perpetuo rata grata valida et firma habere velle nec contra ea vel eorum aliquod vllo vnquam tempore directe vel indirecte quouis nomine colore vel ingenio agere dicere facere vel venire dolo fraude et alia quauis sinistra machinatione in ijs postpositis penitus et semotis, Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum et sigilli nostri appensione munitarum. Datum Pragę 13 Februarij 1534.

XIX.

Pass für Cornelius Duplicius Schepper.

Prag, 13. Februar 1534.

Aus dem Concepte Johann May's mit der Überschrift: Passus pro Cornelio, *im k. k. geh. Haus-Hof- und Staats-Archive.*

Ferdinandus etc. Vniuersis et singulis Principibus Ecclesiasticis et secularibus Archiepiscopis Episcopis Ducibus Marchionibus Comitibus Baronibus Militibus Clientibus Nobilibus Capitaneis Vicedominis Prefectis seu Locumtenentibus eorundem Vexilliferis

Potestatibus Rectoribus Antianis ac ciuitatum vrbium locorum et oppidorum quorumcunque Communitatibus Consulibus Burgimagistris et tam regnorum ac dominiorum nostrorum hereditariorum incolis subditis et prouintialibus quam alijs quibuscunque ad quos presentes litere nostre peruenerint vel qui cum eisdem aut fidedigno earum exemplo requisiti fuerint amicis et beneuolis nostris Salutem et beneuolentie nostre affectum Subditis vero nostris gratiam regiam et omne bonum. Cum inpresentiarum Spectabilis fidelis nobis dilectus Cornelius Duplitius Sceperus Sacrę Cesareę et Catholicę Maiestatis ac noster Consiliarius de mandato nostro se pro rebus nostris agendis et exequendis ad nonnulla loca conferat atque illi vbique tutum et expeditum iter obuenire cupiamus, Idcirco vos omnes et singulos supradictos et vestrum quemlibet amicos et beneuolos nostros affectuose hortamur et requirimus Subditis vero nostris districte precipiendo mandamus quatenus eundem Cornelium cum comitiua sua equisque rebus et sarcinis suis per omnia loca tam terrestria quam aquatica nostre vel vestre iurisdictioni subiecta ad que ipsum et suos declinare contigerit ac per omnes etiam passus pontes et portus nedum libere secure et absque vlla molestatione vel impedimento ire transire stare morari et redire permittatis et permitti faciatis verum etiam eidem et suis dum et quando opus sit et ab eo vel eis requisiti fueritis seu alter vestrum fuerit requisitus de saluoconductu quatenus opus est vestro ac guidis ductoribus viarum equis nauigijs commeatu victualibus ceterisque omnibus ad iter hoc suum perficiendum necessarijs requisitis et accommodis pro competenti et honesto pretio prouidere et prouideri curare velitis et debeatis omnique bono modo eos omnes fouere tractare et promouere studeatis prout vestre in nos beneuolentie fidei et debito conuenit et omnino etiam fore nobis persuademus, In quo vos amici et beneuoli nostri rem nobis pergratam facietis pari quandoque erga vos offitio compensandam Subditi vero nostri expressam nostram et seriosam executuri sunt voluntatem. Datum Pragę 13 Februarij 1534.

XX.

Beglaubigungsschreiben König Ferdinands I. für Hieronymus von Zara und Cornelius Duplicius Schepper an Vespasian von Zara.

Prag, 13. Februar 1534.

Aus dem Concepte Johann May's mit der Überschrift: Vespasiano, *im k. k. geh. Haus-Archive.*

Ferdinandus etc. Fidelis dilecte. Committimus tibi omni studio vt si forte Spectabiles fideles nobis dilecti Hieronymus de Sara pater tuus etc. ac Cornelius Dupplitius Scepperus Consiliarij et Oratores nostri denuo ad Imperatorem Turcorum destinati tibi per viam quacunque parte aut loco obuiauerint eisdem vel eorum alteri presentium ostensori in ijs quę nostro nomine tibi referent fidem indubiam habeas teque in eisdem ita geras prout fides in nos tua requirit Nostram in eo expressam executurus voluntatem. Datum Pragę 13 Februarij 1534.

XXI.

Beglaubigungsschreiben Desselben für Dieselben an Sultan Suleiman I.

Prag, 13. Februar 1534.

Aus dem Concepte Johann May's mit der Überschrift: Turco, *im k. k. geh. Haus-Archive.*

Serenissimo etc. Ferdinandus etc. Cum ex Oratorum nostrorum relatione quos nouissime apud Magnitudinem vestram habuimus intellexissemus, Magnitudinem vestram non indispositam esse ad pacem etiam cum Sacra Cesarea et Catholica Maiestate fratre et domino nostro charissimo ineundam, nosque secundum oblationem nostram Magnitudini vestre per vltimas literas nostras cum familiari nostro Vespasiano de Sara transmissas intimatam pro effectu pacis et amicitie sic quoque per Maiestatem suam Cesaream acceptandę fideliter et synceriter operati essemus, suam Maiestatem Cesaream taliter in ijs dispositam inuenimus vt credamus talem bonam pacem et amicitiam ex hac nostra tractatione sequi et fieri posse, atque ideo nobis expedire et necessarium esse visum est spetiales ob hęc et alia Oratores nostros ad Magnitudinem vestram destinare sicut de presenti mittimus quos nuper etiam apud Magnitudinem vestram aliquamdiu tenuimus videlicet Spectabiles fideles nobis dilectos Hieronymum de Sara Capitaneum nostrum Sancti Viti terrę Fluminis nemorumque nostrorum in Istria Foro Iulio et Carsia Prefectum ac Cornelium Dupplicium Scepperum Consiliarios nostros Cum commissione vt circa premissa Magnitudini vestre nostro nomine declarent et ostendant ea quę ex animo et voluntate nostra proficiscuntur sicut latius ab eis vel eorum altero presentium ostensore coram intelligere poterit Rogando eandem Magnitudinem vestram affectuosius vt eosdem Oratores nostros aut eorum alterum in eiusmodi rebus quę sibi forte non futurę sunt ingratę et nonnihil etiam importare videntur benigne audire eamque illis vel eorum alteri fidem habere velit quam nobismet si presentes essemus et illi personaliter loqueremur haberet, sicque negotium suscipere et expedire velit vt ijdem Oratores nostri vel eorum alter cum optato responso ad nos quamprimum redire valeant, Quod erga Magnitudinem vestram omni filiali quo possumus et debemus offitio promereri studebimus Nos illi vt filium tamquam patri nostro charissimo plurimum offerentes et commendantes. Datum Pragę 13 Februarij 1534.

XXII.

Beglaubigungsschreiben Desselben für Dieselben an den Grosswefir Ibrahim.

Prag, 13. Februar 1534.

Aus dem Concepte Johann May's mit der Überschrift: Ibraimo, *im k. k. geh. Haus-Archive.*

Ferdinandus etc. Illustrissimo etc. Cum ad notitiam nostram peruenisset vos ex Curia Cesaris dominique vestri patris nostri charissimi discessisse singularem quidem ex eo molestiam conceperamus, Maiori vero leticia et gaudio sumus affecti ex vestro ad ean-

dem Curiam felici et prospero reditu, De quo vobis fraterne et plurimum gratulamur, Preterea cum in nouissima Oratorum nostrorum tractatione vobiscum habita vobis visum fuerit mentem vestram nobis per medium ipsorum Oratorum manifestare super pace et concordia inter Maiestatem Cesaream et Catholicam fratrem et dominum nostrum charissimum ac Cesarem dominumque vestrum patrem nostrum ineunda et contrahenda nosque statim intellecta voluntate vestra cum ipsa Maiestate Cesarea superinde tractauerimus, sicut nos in vltimis literis ad Cesarem dominumque vestrum patrem nostrum missis omnino facturos esse scripsimus, suamque Maiestatem taliter in eo dispositam inuenerimus vt credamus pacem illam et bonam concordiam sequi et fieri posse, Nostros ideo spetiales Oratores ad Cesarem dominumque vestrum patrem nostrum ob hec et alia mittendos duximus quos nuper etiam istic aliquamdiu habuimus videlicet Spectabiles fideles nobis dilectos Hieronymum de Sara Capitaneum nostrum Sancti Viti terre Fluminis nemorumque nostrorum in Istria Foro Iulio et Carsia Prefectum ac Cornelium Duplitium Sceperum Consiliarios nostros, Quibus iniunximus vobis superinde aliqua oretenus exponenda sicut ab eis vel eorum altero presentium ostensore latius intelligetis, Vos ob id fraterne et affectuose hortantes et rogantes vt eisdem Oratoribus nostris vel eorum alteri non solum fidem indubiam in premissis adhibere, verum etiam sic res et negotia nostra presentia cure et cordi suscipere et promouere et commendatas habere velitis, vti singularis et magna animi nostri in vos fidutia meretur et vestra auctoritate reputatione et fauore mediantibus quibus apud Cesarem dominumque vestrum polletis haud dubie futurum esse confidimus, Quod vnacum alijs cumulatissimis in nos offitijs et meritis vestris quorum grata mente recordamur et nullo vnquam ęuo obliuisci poterimus vicissim erga vos vberiori qua poterimus beneuolentia et amore nostro fraterno quandoque compensabimus. Datum Pragę 13 Februarij 1534.

Illustrissimo et excellentissimo viro Ibraimo
Basse etc. fratri seniori charissimo.

XXIII.

Beglaubigungsschreiben König Ferdinands I. für Dieselben an den Stellvertreter des Grosswesirs Ibrahim.

Prag, 13. Februar 1534.

Aus dem Concepte Johann May's mit der Überschrift: Alicui basse in absentia Ibraimi, *im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.*

Ferdinandus etc. Illustris et generose syncere dilecte. Cum inpresentiarum spetiales Oratores nostros ad Serenissimum et potentissimum principem dominum Soleymannum Imperatorem Turcorum ac Asię et Grętię etc. patrem nostrum charissimum destinauerimus videlicet Spectabiles fideles nobis dilectos Hieronymum de Sara Capitaneum nostrum Sancti Viti terrę Fluminis nemorumque nostrorum in Istria Foro Iulio et Carsia

Prefectum ac Cornelium Duplitium Sceperum Consiliarios et Oratores nostros eisque commiserimus vt vobis in absentia Illustrissimi et Clarissimi viri domini Ibraimi Bassę Cesaris dominique vestri patris nostri Supremi Consiliarij etc. nostro nomine de rebus nostris istic agendis et exequendis aliqua exponant prout ab eis vel eorum altero presentium ostensore latius intelligetis, Idcirco vos affectuose hortamur et requirimus, vt eisdem Oratoribus nostris vel eorum alteri non solum fidem indubiam in eisdem habere verum et res nostras presentes pro vestra auctoritate et existimatione qua apud Cesarem dominumque vestrum patrem nostrum polletis et pro nostra in vos confidentia singulari tamquam eas ex quibus Magnitudini Cesaris dominique vestri patris nostri commodum et vtilitas aliqua prouenire poterit benigne adiuuare promouere et commendatas habere velitis, Quod erga vos omni oblata occasione accumulate promereri et compensare non dubitabimus. Datum Prage 13 Februarij 1534.

In simili ad duos alios Bassas et eum qui geret vices Ibraimi absentis.

Vltra istas in simili fiant quatuor.

XXIV.

Beglaubigungsschreiben König Ferdinands I. für Dieselben an Ludwig Gritti.

Prag, 13. Februar 1534.

Aus dem Concepte Johann May's mit der Überschrift: Griti, *im k. k. geh. Haus-Archive.*

Ferdinandus etc. Illustris et generose syncere dilecte. Misimus inpresentiarum ad Serenissimum et potentissimum principem dominum Soleymannum Imperatorem Turcorum Asię et Grecie etc. patrem nostrum charissimum Spectabiles fideles nobis dilectos Hieronymum de Sara Capitaneum nostrum in Sancto Vito terrę Fluminis nemorumque nostrorum in Istria Foro Iulio et Carsia Prefectum ac Cornelium Duplitium Sceperum Consiliarios et Oratores nostros ad agendum aliqua cum Magnitudine sua de rebus nostris prout ab eis vel eorum altero presentium ostensore cognoscetis, Vos ideo plurimum hortantes et rogantes vt siue presens sit siue absit a Curia Cesarea Illustrissimus D. Ibraimus Bassa Supremus suę Magnitudinis Consiliarius et Mandatarius etc. vos quoque non solum Oratores nostros audire eisque vel eorum alteri fidem indubiam in ijs adhibere verum etiam ex offitiosa et benigna oblatione vestra et affectione in nos singulari quam ijdem Oratores nostri nuper ad nos reuersi nobis declararunt ac pro nostra in vos quoque beneuolentia non modica, presentes res nostras ita apud Cesarem antedictum patrem nostrum charissimum promouere et commendatas habere velitis sicut in vos plane confidimus, Quod erga vos omni occasione oblata non solum benigne verum et accumulate promereri et compensare volumus adeo quod vos omnis operę bonę et diligentię pro nobis impensę nullo vnquam æuo pigere aut penitere debeat. Datum Pragę 13 Februarij 1534.

XXV.

Schreiben König Ferdinands I. an seine Schwester Maria, verwitwete Königin von Ungern und Böhmen und Statthalterin der Niederlande.

Prag, 21. Februar (1534).

Aus dem von König Ferdinand I. durchaus eigenhändig geschriebenen Originale im k. k. geh. Haus-Hof- und Staats-Archive.

a madame ma bonne seur la roine de hungrie et boheme

Das über rothes Wachs gebreitetem Papiere aufgedrückte Siegel (König Ferdinands I. Ringsiegel) zeigt in einem mit einer königlichen Krone bedeckten und von der Ordenskette des goldenen Vliesses umgebenen Schilde den römisch-königlichen einköpfigen Reichsadler, auf dessen Brust ein Schildchen mit dem österreichischen Querbalken zu liegen scheint.

madame ma bonne seur humblement et de bon ceur a vous me recomande

madame ie despesche vers vous ce present porteur le s^r de saisenek pour vous veoeir et vesiter de ma part comme de luy plus au long entendres et sy estoie en voulonte de le fere plus tost comme eust este raison toutefoeis lay retenu aucuns iours a fin de par luy respondre a plusiours letres que lemp^r monsg^r mauoeit escript que requierent que vaient surement iusques a vous humblement vous supliant les fere apres sure et hatiuement dresir car les aferes le requierent aussy a este cause que atendoie de iour a aultre la conclusion des aferes que se tratoeint a auspurg tant auecques le duc cristofle de wirtenberg comme pour la prolongacion de la lige de sueue pour aduertir a lemp^r monsg^r et a vous aussy come fes par luy et vous enuoie vng extrait de tout ce que a este tratie et conclut despuis mes dernieres letres/ aussy madame me sont venues nouuelles que grity doeit estre en chemin pour venir vers moy quambien que nest retourne le filz de ieronimo de zara que auoie enuoie vers luy et tant que celuy retourne ne le vous ose escripre pour certain mais aussy tost que sauray plus auant seres aduertie et a son ariuee ne seront mis en obly vos aferes et pour ce que par ledit pourteur seres aduertiee de la reste ne fere la presente plus longe sinon vous suplier luy vouloeir croeire en ce que vous dira de ma part et a tant fais fin priant le createur doint a vous madame ma bonne seur bonne vie et longe cest de prag ce 21^e de feurier

vostre vray bon frere
ferdinand

madame ie vous mercy le soing que aues eu de me pourueoeir des viures de caresme et sont venues fort a bon tamps

XXVI.

Schreiben des Hieronymus von Zara an König Ferdinand I.

Fiume, 27. Februar 1534.

Aus dem von Secretärshand geschriebenen und von Hieronymus von Zara unterzeichneten Originale im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Antwort auf Nr. XIII und XVI. Auf der Adresse steht von der Hand Johann May's: Sara de Casu Clissij et Petro Crusith.

Al Sacro et Potentissimo Re de Romani, Hungaria, Bohemia etc. Signor mio graciosissimo

Das Siegel ist abgefallen.

Sacro et Potentissimo Re Signor mio Graciosissimo

Ho rezeute tre de Vostra Sacra Maesta e quelle con ogni debita reuerentia o intese quanto Vostra Maesta me comette, La principale e che me debia poner in hordine per el uiagio e delegatione Constantinopolitana in la quale Vostra Maesta me agiunge per collega il Magnifico Signor Cornelio Consiliario dela Sacratissima Cæsarea et Catholica Maesta mio sopra tuti li altri Signor gracciosissimo, agiungendo Vostra Maesta che per nome de sua Cæsarea Maesta et dela Maesta Vostra debiamo iusto el tenore dela instructione in la espeditione a noij comessa tractare et negociare,

Al che con ogni humilita et reuerentia respondo ben che la egritudine febre quartana ancora non me habia lassata, imo me molesta de continuo como prima, perho non posso pretermeter non in questo ma in magiore uiagio et piui periculoso di questo de non seruir la Vostra Maesta como humile et debito seruitore, per tanto in questo et alia magiora fiat voluntas tua,

Segonda lettera e che Vostra Maesta seriosamente comette (li assasinamenti fati per quelli de Chglissa ali subditi Veneti) chio me debia informar dela uerita et dar noticia a Vostra Maesta, Il che humillime notifico a Vostra Maesta che dicono de certo esser stati quelli de Chglissa segondo e la poliza dela lamentacione fata a Vostra Maesta et a me inclusa in le lettere sue mandate, Tandem dicono ancora per altro modo che alcuni giotti latroni malandrini i quali se anidano in el castello de Noui et Brebir in Vinodolo tuti per nome como se contiene in questa poliza inclusa, li quali hano fato molti assasinamenti (da poi che Georgio Gusich con conte Stephano hano fatta la presa del Vinodolo) si deli subditi Veneti como de Turchi, et ogni giorno se preualeno de fare piu, perho vostra Maesta sa cio che a de fare como gracciosissimo Re et Principe, et se tali latroni capitarano in mano mie farolli apichar sine confessione,

Terza lettera e con una alligata directiua a Laurentio Canturich cometendomi debia tratare secho iusta la comissione del Signor Cornelio che deba uenire et transferirse insieme con noij il che non so quanto ne donde per fina altra clara commissione, et se lui non se potesse prouocar a esequir tale hordine de Vostra Maesta chio deba hauer diligentia de retrouar un altro idoneo a cio, el che humillime iterum notifico a Vostra Maesta che dito Lorenzo mai o ueduto in questi confini, ne scio doue sia, ma quando

me uenisse auanti obedientemente esequiro el precepto de Vostra Maesta, et quando lui non sia trouaremo altri megliori de lui a quello la Maesta Vostra desidera,

Ma io non posso mancare dela debita obligatione et fidelta chio debo a Vostra Maesta de rechordar quello che a me pare como simplicissimo seruitor suo che Vostra Maesta per nullo modo non se fidi de Zuane Frangiepani ne de Laurentio Canturich, per che sonno dui de mala sorte segaci et finti corpi humani et piu tosto inimici de Vostra Maesta, per che dapoi tolto el uinodolo Zuane Frangiepani e stato in confabulatione alquante fiate in Grobnich et altri lochi del Vinodolo con li contrarij et inimici de Vostra Maesta seruitori et chapi del conte Stephano facendo molte pratiche, et a cerchato de leuare setta in la terra de Fiume, et a leuata, et a hauto gran pratica con Zuane Rizan e dormito alquante notte in castello de Tersato con lui, del che per le demostration che hano fato se a cogiturato piu male che bene, In questo interim Laurentio Canturich e stato ad aspetare Zuane Frangiepani a Postoina, et subito gionto mio figlio Vespasiano da Constantinopoli li sono chaualchati drieto tuti doi insieme, perho Vostra Maesta aduertischa como sapientissimo Re et Principe che questi doi giotti prometono assai far per Vostra Maesta, et tuto menteno, e sono fauoreuoli ali inimici de Vostra Maesta, et questo per uerita in ultimis trouara Vostra Maesta,

Quanto etiam notifico a Vostra Maesta che dapoi la partita de Pietro Krusichio da queste bande fata la fama Chglissa sia da Turchi obsediata, e ali .23. del presente uenuto uno Citadino da Spalato citta de Veneti mancho de una lega dinstante da Chglissa, el qual a ditto che la uigilia de Carneuale la note auanti el giorno e uenuto Pietro Chrusichio con la comitiua sua et a depredato alquante uille de turchi et per quanto a referito dito homo hauer amazato homeni done et puti gran copia, et depredato molti migliara de animali quadrupedi si de chaualli como boi como de altra sorte, et il Rectore dela Citta de Spalato a prohibito soto pœna dela uitta che niuno subdito suo non compra ne conducha niuna depredatione fatta per Pietro Crusichio ali subditi de turchi, Interrogato ditto homo se Chglissa hera assediata da turchi, ha rispuosto che non e stata mai assediata per turchi in questi tempi, ma ben forte opressi turchi da quelli de Chglissa, et usate molte cose crudel contra de essi,

Al che Sacra Maesta gracciosissimo Signor se Vostra Maesta vuole patire uno si crudellissimo Barbaro et tirano come e uno Pietro Crusichio che non uoglia stimar li precepti hordini et commission de Vostra Regia Maesta como da suo Re et Principe, si non per sua superbissima imprensione como uno Cerbero frangie pace tregue et concordie quale Vostra Maesta con tante expense fatiche et labore a cerchato et cercha de aquietar con li inimici et aduersarij soi, et hauendoli conduto a bona quiete e pace, che uno si perfido et infimo homo debia denegrar le promission et fede de uno tanto Re como e Vostra Maesta non estimando che li cieli et la terra li possa nocer et causa de ruinar tuti questi confini et de certo se die aspetare le depredatione de conuersa uice in queste bande, ma pur che Vostra Maesta comandi se metera ben silentio con ingegnio a uno tale homo iniquo, perho con ogni reuerentia et humilita prego Vostra Maesta et suplicho quella gratiosamente me perdoni chio me estenda si arrogantamente contra costui, et no-

*

tifico a Vostra Maesta humilissimamente che e dubiosa cossa per il Signor Cornelio et me andar al Gran Turcho considerare consideranda che noi habiamo per nome de Vostra Maesta conclusa la pace con lorro, et dal canto de Vostra Maesta non esser obtenuta, et potrebono dire che noi siamo inganatori et non Ambasciatori, ne piu oltre me estendo se non con ogni humilita et reuerentia me reccomando a Vostra Maesta como a mio gracciosissimo Re et Signor et quella con la sua solita sapientia sapientissimamente prouedera al tutto,

Da Fiumę ali 27 de Febraro 1534.

De Vostra Sacra Maesta

Humillimo et fidele Seruitore
Hyeronimo de Zara

XXVII.

Bericht Vespasians von Zara an König Ferdinand I.

Prag, 5. März 1534.

Aus dem von Vespasian von Zara durchaus eigenhändig geschriebenen Originale im k. k. geh. Haus-Hof- und Staats-Archive.

Ennaratio Eorum quę per Vespasianum Gilium de Zara cum domino Aiass Bassa et Aloisio Gritti in Constantinopoli tractata sunt:

Sacratissime et Potentissime Rex domine mi Clementissime. Principaliter inter eundo Constantinopolim a quibusdam Turcis pro certo intellexi Illustrem dominum Imbrahinum Bassam uigesima quinta die mensis octobris anni preteriti ex Constantinopoli discessisse eumque ad refirmandas prouincias asiaticas et ad preparandum exercitum contra regem Persarum in asiam profecturus, quem Aloisium Gritti per aliquot dies comittari debere et secum abijsse aiebant. Que cum intellexissem opereprecium uidebatur ut aduentum meum cum litteris Sacratissimę Regię Maiestatis Vestrę Imbrahini Bassę substituto (qui tunc mihi ignotus erat) significarem. Itaque ex Combergas uico maritimo unius diei interuallo a Constantinopoli distante litteras ad Georgium Gritti scripsi, quibus aduentum meum cum litteris Regię Maiestatis Vestrę denotabam, eumque rogabam ut de eo substitutum domini Imbrahini Basse certum faceret easque per duos famulos qui aduc eo die qui erat quatuordecimus nouembris Constantinopolim peruenerunt, ad eundem Georgium Gritti misi./.

Ne autem Sacratissima Maiestas Vestra de tardatione mea in itinere ex Gabela naronis fluuij usque ad Constantinopolim factam aliquam admirationem acciperet, aut me indiligentię imputaret, hec pauca hic uolui inserere, et Maiestati Vestrę notificare non me sed egretudinem Machmutbegi seruitoris Aloisij Gritti qui me Gabelle expectarat et interim grauissimo quoddam morbo laborarat de quo in aduentu meo aduc liber non erat in causa fuisse: et ideo aliquantulum tardius proficisci nos oportuisse quia eum in iti-

nere deserere timebam, dubitans ne id tandem Aloisius Gritti egreferet. Itaque vigesima sexta die octobris ex Gabella discessimus et quindecima nouembris Constantinopolim peruenimus./.

Cum autem in ciuitatem ingressi essemus ad portum maris equitauimus et ibi duos famulos quos premiseram inueni cum Zausso vno imperatoris Turcarum qui me in domum cuiusdam Iudei duxit eamque mihi pro hospicio dedit. Intellexeram autem interim dominum Aiass Bassam locum et uicem domini Imbrahini Bassę gerere, ideo illum Zaussum rogaui ut se ad dominum Aiass Bassam conferet sibique meo nomine nararet qualiter ego a Sacratissima Maiestate Vestra cum litteris ad Potentissimum Imperatorem Imbrahinum Bassam et Aloisium gritti directiuis missus sum in quibus acceptacio pacis multaque alia Maiestatis Vestrę ponderosissima negotia continebantur et quod ualde neccessum erat ut quamcitissime coram Potentissimo Imperatore et domino Imbrahino Bassa peruenirent et quod ego nullam aliam comissionem quam litteras illas restituendi et presentandi habebam nam Maiestas Vestra satis abunde omnia negotia in eis litteris declarabat./.

Sed quoniam Maiestas uestra scribendi prolixitate Imperatori tedium inferre noluit, eandem Maiestatem uestram omnia negotia in litteris Imbrahini basse copiosius et clarius extendisse et declarasse: quamobrem neccessum esse ut me quamprimum ad eum conferem et illas litteras sibi ad manus traderem et quod ideo eum rogabam ut quamcitius posset me ad eundem Imbrahinum expediret, uolebam enim tentare sibi persuadendi ut me ad eum mitteret, dubitans si negotia Maiestatis Vestre in manibus Aiass Bassæ peruenirent ne ea aliquo indirecto modo uerteret, et optima occasio mihi uidebatur ut eis scilicet Imbrahino et Aloisio donec simul erant litteras rederem, et negotia Maiestatis Vestre apud eos ambos qui rerum omnium sunt conscij solicitarem, itaque Zaussum expediui ut hec omnia supradicta meo nomine Aiass bassę referet: qui diligenter omnia notauit eaque Aiass Basse declarauit, a quo cum tali responso ad me redijt quod Aiass Bassa ualde letabatur postquam Maiestatem Vestram sanam et incolumem esse intellexit: inquantum autem ad litteras et negotia mea opus esse ut reditum Aloisij Gritti expectem nam postquam ipse in omnibus negotijs prius per oratoribus Maiestatis Vestre apud Cesarem et Imbrahinum Bassam tractatis interuenit eorumque pro rei neccessitate informatus sit, postquam redierit quod simul conuenient litteras et negotia omnia uidebunt et me ad se uocabunt, Itaque reditum suum expectare oportuit./.

Decimo septimo die Ionus beg Imperatoris Turcarum interpres ad me uenit et inprimis de sânitate Regię Maiestatis Vestrę scire uoluit quam postquam bona ualetudine ualere intellexit letum animum et uultum demonstrabat: tandem de oratoribus Maiestatis Vestre domino Patre meo et domino Cornelio Duplicio Sceppero et de successu negotiorum apud regiam Maiestatem Vestram interrogauit et postquam eos recte ualere et negotia omnia apud Maiestatem uestram bene successisse ualde gaudebat. Tandem qualiter Maiestas uestra Pacem proclamare et promulgare fecerit etiam sibi naraui: et in ea promulgatione hoc maxime obseruatum et intimatum esse ut utriusque partis mercatores liberi et impediti ire redire emere atque uendere possint: quod sibi miruminmodum placuit. Super quę ipse dixit nuper aliquos nunctios ex confinibus bosnę duos petri Chru-

sichi seruitores captiuos ad magnum Cęsarem ducentes aduenisse qui eidem Cęsari retulerunt confinia undique pacifica esse, quod si Virgo una aurum aperte in manibus feret tutam et intactam ubilibet ire et redire posse, Sed de Petro Chrusich tantum lamentabantur qui nulla inspecta pace indies cursitat et loca eiusdem Cesaris inuadit. Dicebat tamen quod sperabat Maiestatem Vestram ne talia amplius contingant prouisuram esse. Egò sibi respondi me de ijs omnibus Maiestati Vestrę scripsisse et quod sperabam quod Maiestas Vestra posthac ea etiam auertet et uetabit. Demum ex parte Aias Basse mihi retulit qualiter aduentus Aloisij Gritti illic mihi expectandus esset et quod sine eo ipse nihil tractare uolebat. Itaque conclusit et abiuit./.

Habito ab Aias Bassa hoc responso aliud nihil agere potui quam aduentum ipsius Gritti expectare, qui uigesima octaua die nouembris redijt et statim eo die Machmutbeg suum seruitorem (qui mecum continue habiuit) misi, sibique imposui ut meo nomine ei notificaret, qualiter ego per postas uenerim cum litteris Sacratissimę Maiestatis Vestrę ad Potentissimum Imperatorem et dominum Imbrahinum Bassam directiuas in quibus responsum Maiestatis Vestrę continetur super negotia per oratores vltimos Maiestatis Vestre cum eodem imperatore et Imbrahino Bassa tractata et conclusa, et alia multa ponderosissima negotia quę nullam moram aut tardationem desiderant sed subitam actionem et quod ad eum similiter litteras Maiestatis Vestre habebam, quapropter secum conuenire et colloqui easque litteras sibi renunciare ualde desiderarem. Itaque paulo post machmutbeg cum tali responso ad me redijt Quod Aloisius ualde mihi de aduentu meo congratulatur, quia multum hoc responsum a magno Cesare Imbrahino bassa et se desiderabatur Quod autem ad conuentionem spectat se prius magnum Cesarem uisitare uelle et hanc rem domino Aias Basse declarare, dixit, et postea statim me uocabit et negotia pro rei neccessitate uidebit, et quod sequenti die ad Cesarem et ad Aias Bassam ibit et id faciet quod sibi ab eis imponetur./.

Sequenti die qui erat uigesimus nonus Aloisius Gritti ad Imperatorem iuit et postea ad Aias Bassam, Vbi uero quod uoluit apud eos expedijt domum reuersus est et per machmutbeg mihi notificauit ut mane sequenti eum adire deberem./.

Prima Audiencia ab Aloisio Gritti habita./.

Trigesimo die ante prandium me ad Galatam transuexi et ad domum Aloisij Gritti iui eumque in quibusdam negotijs occupatum inueni sed quamprimum de aduentu meo intellexit me uocari ad se iussit, quo ubi uenissem se mihi obuia obtulit et benigno letoque animo me suscepit et bis osculatus est, tandem me coram eo (licet id ego recusarem) sedere iussit et inprimis hoc modo loqui cepit

Principaliter de bona ualetudine Serenissimę Regię Maiestatis Vestre me interrogauit, Cui ego respondi gratia dei Maiestatem Vestram bene et recte ualere et me Maiestatem Vestram Viennę reliquisse. Tandem de ualetudine domini patris mei et domini Cornelij eius collegę etiam intelligere uoluit, Cui ego respondi patrem meum Viennę in extremis laborasse, sed eum ante discessum meum dei gratia reualuisse: dominum autem Cornelium morbo aliquo malo nunquam laborasse

Subiunxi tandem Sacratissimam Maiestatem Vestram me cum tota resolutione et rerum actarum ab oratoribus Maiestatis Vestrę ad Potentissimum Imperatorem et imbrahinum Bassam misisse: que in ijs litteris quas Maiestas Vestra ad eundem Imperatorem et imbrahinum bassam scribebat continebatur et vnas litteras Maiestatis Vestrę ad se me tantundem habere dixi, in quibus quantum contineatur poterit uidere, easque sibi porexi et me a Maiestate Vestra ad eum hanc ut sequitur comissionem habuisse naraui./.

In primis quod Maiestas Vestra sibi sanitatem et fortunam prosperam optabat, et quod Maiestas Vestra gratiam et beneuolentiam suam sibi offerebat. Et quoniam oratores Maiestatis Vestre de eo Maiestati Vestrę bonam relationem fecerunt, me inter cetera a Maiestate uestra specialem comissionem habuisse, ut Maiestatis Vestre nomine omni cum gratia multas sibi gratias agerem, quod ipse in solicitacione negotiorum Maiestatis Vestrę et in bona pacis conclusione, christianum et fidelem eius animi affectum demonstrauerit: et quas oblationes erga eosdem oratores fecisset Maiestati Vestrę gratas et ualde acceptas fuisse. Nunc autem Maiestatem uestram regiam aduentum suum magnopere desiderare, Maiestatemque Vestram ab eo gratiose petere ut quamcitius posset aduentum suum properaret, et Maiestatem Vestram mihi iniunxisse, ut eum expectarem, nosque vnà ad eandem Maiestatem uestram conferamus, si autem ipse in hoc aliquod aliud consilium caperet, ut me omni cum celeritate de eius aduentu certum ad Maiestatem Vestram expediret. Et hoc tantum dicendi a Maiestate Vestra mihi iniunctum esse dixi./.

Ad quę ipse hoc modo respondit, et replicauit aduentum meum Cęsari ualde gratum fuisse, similiterque gratum Imbrahino Basse futurum quia hoc responsum multum desiderabant. Quantum ad oblationes a regia Maiestate Vestra factas ingentes et inmortales gracias egit. Quantum autem quod Maiestas Vestra propter bonam oratorum relationem de christiano et fidele eius animi affecto sibi gratias agebat. Eum semper istius mentis et naturę fuisse respondit. In omnibus quibus Christianę Reipublicę potuisse iuuare cognouerit, se operam suam impendisse nullique pepercisse labore, et hac causa hoc egisse ut inter alios Principes Christianos, bonus Christianus reputaretur: et se Iohanis regis partes plusquam eas Maiestatis Vestrę nunquam fauisse, sed omnia ea egisse, quę (ut supra dictum est) in comune bonum totius Christianę reipublicę reuerberare putabat, et huius mentis et Animi aduc se esse affirmabat. Quod autem Maiestas Vestra magnopere aduentum suum desideraret, et quod ab eo graciose peteret vt citius hoc iter celeraret, se iam omnino in ordine esse dixit et animalia sua etiam in propinquo esse, et quod quamcitius poterit se ad iter hoc expediet. Nam propter perfidissimam Hungarorum naturam multum oportere sciebat ut quamcitissime in Hungariam perueniret, quia nisi cito uenerit de suscitatione alicuius noui scandali aut impedimenti dubitabat. Adiunxitque se nil magis quam illius regni pacem et tranquilitatem optare, quam si erigere et stabilire posset, per deum iurauit, quod numquam amplius (Hungarorum perfidiam et inhumanitatem cognoscens) in Hungariam pedes uerteret, sed potius et multo libentius illis a deo habitis bonis domi frueretur. Interim inquit quod negotia omnia cum Cęsare disputaret et cum eo id quod vellet faceret. Quia id Imperium totum nunc se in suo pu-

gno tenere et id pro arbitrio suo quocunque uellet uertere posse dicebat. Et si cito poterit expediri quod me secum proficisci uelit, sin autem non me omni meliori uia et modo premittere uelle promisit./.

Tandem litteras Maiestatis Vestre aperuit et perlegit, quę (ut ego coniecturare potui) gratę sibi fuerunt, Quod autem Maiestas Vestra scribebat eum uelle ad primam diem Ianuarij huius anni Viennę expectare, inpossibile esse inquit ut tam cito eò peruenire posset, Demum illis perlectis litteras domini Patri mei sibi dedi, quas etiam hilari animo accepit et perlegit, Ego tunc litteras ad Cesarem et ad Imbrahinum scriptas mecum attuleram et dixi sibi si eas extrinsecus uidere uelit quod eas sibi ostenderem./.

Tunc ipse respondit se a domino Imbrahino Bassa litteras suas omnes aperiendi et legendi autoritatem habere, ideo eas a me habere uoluit: ijsque apertis eas legere cepit, et cum ad capitulum peruenisset in quo Regia Maiestas Vestra enarat, Cesarem Turcarum Maiestati Vestre id totum quod eadem in Hungaria tenet libere ad possidendum et retinendum permisisse, Punctum fecit et id aperta fronte negauit, ad quod ego tunc nihil respondi: Pergens itaque legendo cum ad capitulum peruenisset, per quod Maiestas Vestra petiebat ut Pax non solum inter Maiestatem Vestram et Cesarem Turcarum fieret, sed etiam inter heredes et filios utriusque Vestrum confirmaretur, Respondit quod Cesar Turcarum nullo pacto hoc faciet, quia Imperatores Turcarum pro successoribus suis promittere non consuescunt quia nesciunt cui post mortem Imperatoris imperare contingerit, et in arbitrio eorum est obseruare ea quę per antecessores facta et ordinata sunt. Hec eadem pacis condicio a Serenissimo Rege Polonię tantundem requisita est sed eam in uita tantum utrunque eorum et non vltra consecutus est. Itaque perlectis litteris, eas nihil respondere ad ea que Cesar Vestrę Regię Maiestati scripserat dixit, sed se omnibus mederi posse dicebat si tantum illud capitulum de possessione illius quod Maiestas Vestra in Hungaria habet in illis litteris non esset, quia Cesarem et Imbrahinum eam oratoribus Maiestatis Vestre promisisse et concessisse negabat. Ideo quod oratores male Maiestatem Vestram informauerint aut fortasse Maiestatem Vestram hoc capitulum in litteris adiunxisse ut aliquem scropulum in pace immisceret dicebat, et subiunxit hanc Cesaris (dum oratores ab eo ueniam acceperunt) resolutionem fuisse: Quod Pacem regię Maiestati Vestrę dedit eamque pro filio accepit donec eum Maiestas Vestra loco patris habebit, et quod nunquam pacem cum Maiestate Vestra non franget si sibi Maiestas Vestra occasionem non dabit, et si Maiestas Vestra eam pacem recte obseruabit quod Maiestati Vestrę Gentibus, pecunijs, et rebus omnibus ad bellum necessarijs subsidium daturus esset eamque a quolibet hoste suo deffensurus./.

Sed Regi Iohani inquit (prout in litteris eiusdem Cęsaris continetur) totum Hungarię regnum dono dedit, quod ipse Cęsar armis acquisiuit, et ideo uerba sua reuocare nolle, quia liberalis Cęsaris non esset quę primum dono dedit statim adimere, et quod Cęsar iccirco uult regem Iohanem totum id regnum possidere, quod si a Maiestate Vestra recusabitur occasionem pacis cum Maiestate Vestra uiolandę frangendęque habebit. Ad quę ego sciens quod ipse ex se tantum hec omnia loquebatur, uidensque eum in re prius conclusa et confirmata hesitare hoc modo respondi./.

Serenissimam Regiam Maiestatem Vestram me priuatim cum litteris tantum ad Cęsarem et Imbrahinum Bassam misisse, nullamque comissionem loquendi aut respondendi dedisse de intermiscione alicuius scropuli in rebus tractatis et firmatis non dubitantem. Sed quod hec pauca ex me tantum elloqui cogebar. Quod Maiestas Vestra in integritate et prudencia eius confidens, a Cęsare petiebat ut sibi totam rerum tractandarum in Hungaria comissionem et autoritatem daret, Sperans quod eo mediante omnia in bonum et Augumentacionem (quam ipse ut bonus Christianus semper fauit et amauit) tocius Christianę reipublicę redigerentur. Ideo postquam hec omnia in eius manibus sita sunt, quod eum facturum ea quę uirum integrum, prudentem necnon fidelem Christianum sperabam: et sine dubio si operam suam in fauorem uestrę Regię Maiestatis impenderit, quod Maiestas uestra eam magna cum gratia liberalitate et benignitate erga eum recognoscet: quod quidem oculata fide multum plus quam ego dixerim certum fore uidebit, et quod Maiestas Vestra tantum sibi confidebat, quod eum secus facturum non dubitabat. Ad quę ipse hoc modo respondit./.

Se de Benignitate, summa gratia, et liberalitate Serenissimę Regię Maiestatis Vestrę indubium et certum esse, et quod ipse regię Maiestati Vestrę prout tercio fidei Christianę capiti omnes debitos honores debere confitebatur. De quo ego ex me tantum multas sibi gratias egi./.

Tandem hoc subiunxi me bene scire quod Regia Maiestas Vestra et oratores in capitulo illo de retinendo id quod Maiestas Vestra in Hungaria habet non errauerunt, quia id in prima conclusione quam dominus pater meus cum Cesare et imbrahino Bassa egit satis aperte declaratum et confirmatum fuit, quam ego ex comissione eiusdem basse et patris mei Regię Maiestati Vestre retuli, et sine dubio id se ita habere dixi, et pro uerificatione istius conclusionis Cesar et Imbrahinus Bassa mecum nuncium unum ad uestram Regiam Maiestatem miserunt et claues Strigonij cum restitucionis promissione petierunt quas Maiestas Vestra libenti animo Cesari et Imbrahino Bassę misit, et ipsi (ut promiserant) eas iterum Maiestati Vestrę remiserunt. Ideo Maiestatem Vestram id capitulum super primam tractacionem et promissionem Cęsaris et Imbrahini Bássę litteris inscripsisse, confidens et pro certo habens, uerba et promissiones Cęsaris et Imbrahini Bassę inmutabiles esse. ad quę ipse summissa quadam uoce (ut senciencium ea aperte fateri quę ocultare aut negare uelint mos est) breuiter respondit, de ijs rebus se nihil scire, et tamen hec omnia ex ore Imbrahini Basse presente domino Cornelio Duplicio Sceppero et domino Patre meo audiuit et intellexit, de quibus Maiestas uestra nunc postremo ab oratoribus instructionem habuit./.

Denique dixit quod me sequenti die ad presenciam Aias Bassę et Cęsaris ducere uellet ut litteras eis consignarem et quod interim eas apud me seruem et litteras Imbrahini quas aperuerat mihi apertas restituit, et me admonuit ut coram Aias Bassa me nullam facultatem tractandi aut respondendi habere dicam, quia ipse omni meliori modo curaret, ne hec res a Cęsare in odium haberetur, nam post audienciam quam ipse mihi a Cęsare impetraret quod littere omnes ad manus suas peruenirent, et ipse eas traduceret, quarum litterarum traductionem Turcicham cum exemplare Imbrahino bassę per

postas mitteret, et interim ipse negotia omnia cum magno Cęsare tractaret et decideret. His uerbis finitis siluit et ego accepta venia domum reuersus sum./.

Prima die decembris Aloisius Gritti et Aias Bassa conuenerunt et negotia Maiestatis Vestrę (ut puto) inuicem disputauerunt, eo die me Audienciam ab eodem Bassa habiturum sperabam, sed eam usque ad quintum diem prolongauit, quo die Aloisius Gritti per machmutbeg mihi nunciauit ut litteras Imbrahini Bassę in vno folio papiri ligatas et meo sigillo sigillatas ad eum mitterem quod ego statim feci et ulterius nunciauit ut me pro sequenti die ad audienciam Aias Bassę prepararem. Eo autem die nuncij quidam Iohanis Voiuodę qui de exercito a Maiestate Vestra in Transyluania misso sibi noua attulerunt ad eum Galatam venerant./.

Prima Audiencia ab Aias Bassa habita./.

Sexto itaque die a prandio Ionus beg Cesaris interpres nuncians qualiter ad audienciam Aias Bassę uocabar, ad me uenit, ego eo audito statim me preparaui et litteras ad Cęsarem scriptas mecum accepi, et ambo ad domum Aias Bassę equitauimus, ubi uerum ad eum intromissi essemus, Interprete Ionus Bego assistente debitam et conuenientem erga eum reuerenciam egi, et ipse me satis benigne suscepit, et sedere iussit, ubi autem sedissem Ionus bego ut hec hic inferius annotata suę dominationi refferet./.

Principaliter quod ego non dubito quod Illustris dominatio sua de rebus et negotijs ab oratoribus Serenissimę Maiestatis Vestrę apud Potentissimum Cęsarem et Imbrahinum Bassam tractatis informata sit. ad quę respondit, omnia sibi bene notta esse. Tunc ego subiunxi Maiestatem uestram me ad Cęsarem et Imbrahinum Bassam cum litteris misisse, in quibus omnis Pacis resolutio et acceptatio et alia multa ardua negotia continentur. Et quoniam ipse Imbrahinus Serenissimam Maiestatem Vestram in fratrem suum accepit: quod Maiestas uestra mihi iniunxit ut primitus sibi beneprecarer, et ex parte Maiestatis uestrę fraternam sibi dicerem salutem. Sed quod Maiestas uestra de ijs prępmonita quę facile euenire posse cogitabat, etiam mihi iussit, si Imbrahinus Bassa fortasse abesset, ut eum qui suam uicem gereret salutarem. itaque ex parte Maiestatis uestrę sanitatem a deo et fortunam prosperam necnon in rebus suis omnibus foelicem successum sibi beneprecatus sum, et hoc ideo feci (vbi vidi quod me Imbrahinum per natuliam sequi permittere noluit, et ex audiencia Aloisij Gritti negotia Maiestatis uestrę pro uoto non successura propter Imbrahini absenciam cognoui) ut eum ad deuotionem Maiestatis uestrę promouerem et atraherem, nam primates Turce nihil plus exaltacione et vanagloria amant./.

Postea dixi sibi quod Aloisius Gritti litteras Imbrahini Bassę a me petijt, dicens se ea aperiendi et legendi potestatem ab eo habere quas ego sibi dedi. Nunc autem litteras Cęsaris mihi aduc superesse et me a Maiestate uestra comissionem habere eas Cęsari personaliter presentandi, si ad hoc Imbrahinus Bassa aut eius substitutus consentiret et eum Cęsarem ex parte Maiestatis Vestrę salutandi. Latius autem me nullam comissionem loquendi aut tractandi habere, nam satis abunde omnia negotia in illis litteris numerabantur. Nunc autem ut ipse pro uoluntate sua hec erigat et disponat, in quibus id quod hu-

manum principem pacis et tranquilitatis amatorem, necnon iusticię cultorem decet eum acturum fore sperabam. quę uerba omnia Ionus beg sibi interpretatus est. Super quę ipse inprimis de grata et cordiali salutacione Maiestati uestrę multas gratias egit. Litteras autem ut eas sibi ad manus traderem uoluit, dicens cum ad eius manus perueniunt tantum esse ac si ad Cęsaris manus peruenissent, et quod illas aperiet et quid in eis scribatur uidebit et insuper responsum et resolutionem ad Regiam Maiestatem uestram dabit. Ceterum ego eum rogaui ut expeditionem meam quamcitius posset solicitare dignaretur, ad que respondit se curaturum ut vnà cum aloisio gritti me expediat quo simul iter carpere possemus. Itaque sibi litteras renunciaui et cum eius licencia domum reuersus sum./.

Ex actis et gestis eius quod falsum aliquem tractatum prioribus diebus cum Aloisio gritti fecit cognoui, quo actam pacem et cetera Maiestatis uestrę negotia aliquo indirecto modo corumpendi tentare uelint, et ideo Audienciam istam tot dies prolongauerant, nam multa consilia interim inuicem fecerunt. Magnificencia autem, Modestia, Intelligentia, Astucia, Ingenij capicitate, et in tractandis negotijs pratica et dexteritate Aias Bassa Imbrahino non est comparandus quia Imbrahinus in ijs omnibus eum maxime excedit./.

II^a Aloisij Gritti Audientia./.

Octauo die eiusdem Mensis Aloisius Gritti pro me misit, ego ad eum iui et eum aduc prandentem inueni, et nolens sibi in prandio molestus esse per quendam hortum spaciabar, ubi ad me Georgius gritti uenit et coniunctis dexteris inuicem nos salutauimus itaque in sermonem de Hungaria incidimus, et cepit hoc modo. quod ualde de uolubilitate et inconstancia Hungarorum mirabatur quod post tot infortunia et summi dei correctiones aduc a falsis practicis seditionibus et dolis non desistant, et quod nuper etiam quendam nouum rumorem suscitauerunt aiebat, et quod etiam ualde mirabatur qua ratione Cozianer cum exercitu in transyluaniam pergeret cum Maiestas uestra pacem cum Cęsare inierit, hoc autem signum pacis non esse sed potius magni incendij, et cum ulterius loqui uellet Aloisius Gritti uenit et me ad quendam remotum locum deduxit et hoc modo loqui cepit./.

Se litteras Imbrahini Basse non de uerbo ad uerbum ut in eis continetur sed rerum substanciam tantum traduxisse, et quod eo die quo apud Bassam fui illi ambo ad Cęsarem iuerunt et sibi illam traductionem perlegerunt, Quam cum intellexisset ualde inquit miratus est quod Maiestas uestra in illis litteris mencionem fecit ipsum Maiestati Vestre totum id quod eadem in Hungaria habet libere ad retinendum et possidendum permisisse et ipsum aloisium interrogauit an conclusioni pacis cum oratoribus actę interfuisset, et ipse respondit illi interfuisse et sibi bene notam esse quam tunc coram Cęsare repetere debuit, Adiungens sine dubio quę ad satisfactionem opinionis suę conueniebant et prestabant cetera autem contraria diminuens: Quam postquam Cęsar intellexit, Hec eum respondisse dixit./.

Quod ipse regnum Hungarię bis armis acquisiuit, id tandem regi Iohani totum dono dedit, ut in litteris continetur quas ad Regiam Maiestatem uestram scripsit et se uerborum suorum inmutabilem esse, immo uelle ut Iohanes rex id regnum totum possideat,

et recusanti hoc pacem non daturum. Quod autem Maiestas uestra quę Iohanes uoiuoda tempore induciarum et pacis Maiestati uestrę in regno Hungarię accepit petiebat, Cęsarem hoc modo respondisse dixit, quod omnia queque accepit ut sua propria bene accepit cum totum id regnum sibi ad possidendum permissum sit, et si aliqua adhuc acceperit in eodem regno quod ea bene ut sua propria accipiet, sed si aliquid extra id regnum Maiestati Vestre accepisset, se effecturum ut ea omnia restituere cogatur, Quod autem Maiestas uestra exercitum in Transyluaniam miserit, id signum pacis et amoris non esse sed potius magni incendij et belli dicebat, et quoniam ipse Cęsar Maiestati uestrę pacem seruandi promisit et Maiestatem uestram pro filio habebit donec eadem pacem obseruabit, postquam Maiestas uestra exercitum in Transyluaniam misit pacem ipsam uiolatam esse existimat quia qui regnis ab eo armis acquisitis bellum infert, contra se id bellum illatum esse reputat, Ideo inquit Cęsar uoluit ut statim nuncij ad Sanzacum Samandrię mitterentur ut armatam in Danubio iterum prępararet et exercitum contra eos qui armata manu in Hungariam aut Transyluaniam proficiscuntur colligeret et sibi Aloisio iussit ut cum exercitu in Hungariam proficisceretur et plenariam autoritatem et potestatem omnia in regno Hungarię inter Maiestatem uestram et Iohanem uoiuodam tractandi et componendi sibi dedit itaque siluit./.

Postquam hec audiui cognoscens quod solus ipse et Aias Bassa hec simul construxerant et primę conclusioni contraria et dissimilia egerunt ualde obstupui nec prestare putabam ut superinde absque comissione sibi responderem, sed tantum eum interrogaui an se ad regiam Maiestatem uestram personaliter confere uelet postquam in Hungariam peruenerit. Ipse respondit si Maiestas uestra aliquo bono pacto tractatum iniere uoluerit se ad Maiestatem uestram uenturum, sed si Hungari in hos tractatus et actionibus interuenient, procul dubio nullam bonam conclusionem secuturam fore sciebat, quia eum perfidissimam eorum naturam semper ad malum, discordiam, et perfidiam pronam aliquoties expertum esse aiebat, Dixit etiam quod Cęsar litteras ad Maiestatem uestram mitteret in quibus Maiestas uestra breuiter uoluntatem suam intelliget./.

Quod autem ad dotem Serenissimę Reginę Marię spectat, si res inquit in Hungaria bene succedent et ad aliquem meliorem statum redigentur se in ijs etiam secundum regni consuetudinem esse processurum. Tandem oportere dixit ut ego litteris Cęsareis ad Maiestatem uestram preueniam et interrogauit me an uellem per postas redire, ego respondi quod per postas redire malem quam secus, et rogaui eum ut cito me expediret, et quod in ea expeditione de fidelitate christianique eius animi sinceritate et de ijs que aliquoties domino patri meo et domino Cornelio Duplicio Sceppero locutus est recordetur, de quibus eis litteras credenciales ad Maiestatem uestram dedit, modumque litigia et discordias euitandi et non renouandi querat, et eum secus non facturum sperabam, Ad que aliquantulum subrisit et respondit se rerum omnium memorem esse, neque in eo christianam eius animi sinceritatem deffuturam fore, Demum interrogaui eum an Maiestati uestrę responsum de inuenda pace inter Sacratissimam Cęsaream et Catholicam Regiam Maiestatem et Imperatorem Turcarum dabitur. Respondit nihil de hoc actum esse itaque accepta venia domum redij./.

II^A Audiencia Aias Bassę

Decimo sexto eiusdem mensis post prandium Aloisius Gritti et Aias Bassa conuenerant, et statim pro me miserunt, et cum ad eos peruenissem me sedere iusserunt et idem aloisius interpretem agebat et ex parte Aias bassę his uerbis ad me loqui cepit./.

Quod dominus Aias bassa me expeditionis meę causa ad se uocauit et Cesarem dominum suum litteras Regię Maiestatis uestrę uidisse et intellexisse ait, in quibus due res quę Cęsari magnam admirationem atulerunt inseruntur, et in quibus aliquem dolum latere dubitat, aut regiam Maiestatem uestram suas litteras non intellexisse, aut oratores Maiestatem uestram male informauisse, aut Maiestatem uestram pacis actę male contentam esse, ijs rebus sibi demonstrare uelle putat. Et principaliter hanc unam rem esse dicebat, quod Maiestas uestra scribit Cęsarem Maiestati uestrę totum id quod eadem in Hungaria tenet libere ad retinendum et possidendum permisisse, quod inquit a Cęsare nunquam promissum est nec cum oratoribus conclusum prout in litteris eiusdem Cęsaris ad Maiestatem uestram scriptis uideri potest, Immo Cesarem hanc opinionem habere ut rex Iohanes id regnum totum possideat, quod sibi dono dedit et si quis in hoc repugnauerit pacem cum eodem Cęsare non habebit./.

Secundario inquit ualde Cęsar miratur quod Maiestas uestra petit ut Iohanem regem totum quod Maiestati uestrę tempore induciarum in Hungaria accepit, restituere iubeat, cum sit quod Cęsar id regnum Iohani regi dono dedit et uerba sua reuocare non potest, quod ea causa uult ut ipse id regnum totum possideat, Ideo inquit Cęsar super hanc peticionem respondit quod ea omnia quę accepit, ut sua propria bene accepit, et quod me uocauerunt ut hec audirem et regię Maiestati uestre relationem facerem et quod in huiuscemodi tenore Cęsaris litteras ad Maiestatem uestram mihi darent et quod per postas ut petij quamprimum me expedirent, Itaque siluit, et Aias Bassa interrogauit eum an mihi omnia retulisset, ipse respondit sic et sibi etiam que mihi dixerat Turcice retulit, Tandem iussit ut me interogaret an aliqua superinde respondere uelim, Cui ego hoc ut sequitur modo respondi./.

Se non latere (ut prius dixi) nullam a regia Maiestate uestra respondendi aut tractandi me comissionem habere, sed quod pro parte aliqua capitula ex litteris Maiestatis uestrę ad Cęsarem et Imbrahinum bassam scriptis bene mihi conscia erant, super quę ego simpliciter ex me tantum, et ex noticia quam habeo prioris tractationis et resolutionis pacis inter Cęsarem, Imbrahinum Bassam et dominum patrem meum factę et conclusę respondebo, Quam primam conclusionem, ego ab eodem Imbrahino bassa et a domino patre meo cum Mechmet Zelebi nuncio Cęsaris missus ad Maiestatem uestram omnimode oretenus Regię Maiestati uestrę retuli et scriptam dedi, in qua conclusione inter cetera capitula multa hoc quoque continebatur quod Cęsar regię Maiestati uestre uti filio suo id totum quod Maiestas uestra in Hungaria tenet libere ad retinendum et possidendum permisit et in signo huius conclusionis et promissionis idem Cęsar et Imbrahinus claues Strigonij eas restituere uelle promittendo petierunt, quas Maiestas uestra eis libenti animo misit et ipsi eas Maiestati uestrę (ut promiserant) remiserunt, Ideo cum oratores Maiestatis uestrę de ultima conclusione tractabant, hoc pacto concluserunt ut omnia quę prius

conclusa et confirmata erant rata et ualida permanerent, et superinde Regię Maiestati uestrę relationem fecerunt. Putans itaque Maiestas uestra uerba et promissiones Cęsaris et imbrahini firmas et inmutabiles esse, de hoc in litteris ad eos scriptis comemorationem facere uoluit de paterno grato et liberali animo erga Maiestatem uestram ostenso sibi gratias agens, et cum Maiestati uestre id totum quod eadem in Hungaria habet libere ad retinendum et possidendum permiserit et nollens Maiestas uestra pacem ullo unquam pacto uiolare (quam tamen interim Iohanes uoiuoda uiolauit) uoluit Maiestas uestra Cęsari notificare quod Maiestas uestra pacem nunquam corumpere uoluit et quod interim Iohanes uoiuoda aliqua loca Maiestati uestrę in regno Hungarię occupauit, et confidens super ea que Cęsar Maiestati uestre ex ore proprio promisit, eadem Maiestas uestra Cęsarem ut patrem rogabat, ut quę Iohanes uoiuoda pacis tempore Maiestati uestrę occuparat restitutum iri iuberet, Sed postquam hanc Cęsaris uoluntatem esse dicebant eamque mutatam uideam me ulterius respondere nolle aut posse eis naraui itaque tacui, et hec mea Aloisius Gritti Bassę interpretatus est, Super que alter alterum inspiciens obmutuerunt et hec omnia uera esse scientes quid admittere aut quid negare deberent nesciebant. Demum Aias Bassa interprete aloisio me interogauit in qua prouincia essent ea quę Maiestati uestrę adempta fuerunt aut cuius subditi. Cui ego respondi me profecto has res latere neque satis libere respondere posse. Sed pro mea opinione ea omnia in regno Hungarię esse et sub ditione fide et iuramento Regię Maiestatis uestrę fuisse, ad quę ipse hoc modo primo responso super hanc particulam aliter conuerso respondit

Super hanc rem Cesaris uoluntatem esse ut si qua Regia Maiestas uestra ante obitum foelicissimę memorię Regis Ludouici in regno Hungarię habuerit, ut ea omnia Maiestati uestrę restituantur et libera permaneant, sed si post obitum eiusdem regis Maiestas uestra aliquid in eodem regno sibi subiecit ea Maiestati uestrę permittere nolle, quia Cesar id regnum ui acquisiuit, regem in prelio interfecit et regali theatro potitus est. Post discessum autem Cęsaris Hungari Iohanem in regem elegerunt, et ad Cesarem oratores, eam electionem notificantes miserunt, quam Cęsar ratificauit. Tandem inquit qualiter iterum Regiam Maiestatem uestram in regem ellegerunt et creaucrunt ex qua re Cesar ad iram promotus in id regnum redijt et id iterum uicit et subiecit, idque Iohani uoiuodę dono dedit quam donationem postea confirmauit. Nunc autem inquit Cęsar Aloisium gritti constituit ut omni cum celeritate in Hungariam eat et lites inter utrunque regem (si possibile est) componat et eam pacem quam Maiestati uestrę promisit confirmet. Quę lites et pax si componi non poterunt, idem gritti a Cęsare comissionem habet, ea quę ad hoc conueniunt et neccessaria sunt agendi. Itaque inquit quod in hoc tenore littere ad Maiestatem uestram scriberentur et me cum omni celeritate expediret. Quę uerba Aloisius mihi italice retulit ego autem dixi me superinde amplius respondere nolle nec posse, sed cum idem aloisius in Hungariam uenerit et se ad regiam Maiestatem uestram conferet, quod eum apud Maiestatem uestram rerum omnium bonum responsum et resolutionem inuenturum sperabam. Itaque ab eis dimissus sum et domum redij./.

Prima die Ianuarij presentis Anni alique litterę Maiestatis uestrę ad Imbrahinum Bassam directiuę cum quibusdam domini patris mei de vigesima septima octobris anni pręteriti scriptis a quodam nuncio ragusiense mihi allate sunt./.

III^A Audientia Aias Bassę

Secundo autem die famulum vnum ad Ionus beg interpretem misi, rogans eum ut audienciam mihi apud dominum Bassam impetraret quod statim fecit et ipsemet me ad eum comitatus est et litteras illas Maiestatis uestrę mecum acceperam, nam eas per proprium nuncium ad Imbrahinum Bassam mihi mittere non licebat, Cogitabam etiam si aliqua in eis scripta essent super que Cęsarem responsum reddere oporteret, satius esse ut eas Aias Bassę ad manus traderem, itaque postquam ad eum intromissus fui interprete Ionus bego dixi qualiter ille littere ex Vienna a domino Patre meo ordine Regię Maiestatis uestrę ad me misse fuissent quę ad Illustrem dominum Imbrahinum Bassam scribebantur, Sed ubi dominatio sua Illustris illic non erat quod eas sibi consignare uolui, rogans eum ut eas quamprimum ad eundem dominum Imbrahinum mittere uelit, Tunc Aias Bassa interrogauit an prestaret ut eas aperiret et si aliquo responso Cęsaris indigerent uideret, ego respondi quod bonum eas aperire esset ne tempus in longum protraheretur donec ab Imbrahino Bassa responsum ueniret, Itaque eas Ionus bego ad traducendum dedit, Interrogauit tandem me an ex istis partibus aliquid noui haberem et ubi nunc exercitus quem Maiestas uestra in Transyluania miserat, esset, respondi me nulla noua habere quia littere scripte sunt de 27° octobris sed Maiestatem uestram nullum exercitum habere dixi preter aliquot equites et pedites subsidiarios quos Maiestas uestra ad munienda et custodienda loca limitum miserat de quibus Maiestas uestra in litteris Cesari et Imbrahino Bassę mentionem fecit. Itaque siluit Bassa et ego domum redij./.

Tercio die Ianuarij post prandium Ionus beg ad me uenit, et mihi Cęsaris turcarum litteras, quas Maiestati uestre renunciaui attulit et dixit in eis Cęsaris responsum super ea quę Maiestas uestra sibi et Imbrahino Bassę scripsit contineri, postea uenit Zauss quidam qui ex parte Cęsaris unam uestem valoris decem florenorum et bis mille asperos mihi attulit et statim abiuit. Ionus beg tandem eam expeditionem meam esse dixit./.

Ego autem sciens quod Ionus beg oculte Aloisium Gritti maximo odio prosequebatur, et quod de acta pace ualde gaudebat, data opera interrogaui eum an conclusioni primę ab oratoribus Maiestatis uestre cum Cęsare et Imbrahino bassa actę interfuerit, ipse respondit quod sic. Quid autem dixi de ista mutacione et negatione, quam isti duo, silicet, Aloisius et Bassa fecerunt uobis uidetur nonne primam conclusionem in omnibus fere rebus negauerunt. Ad que ipse respondit se hec omnia bene scire, neque satis istarum rerum exitum considerare posse, sed nos omnes de vno solo Aloisio Gritti quem dij perdant inquit lamentari debemus, quia principium et origo istarum perturbationum est, et tantum accreuit quod istum nostrum Cęsarem ad omnia quę ipse uult atrahere et persuadere potest, et deus inquit Cęsari nostro intellectum ademit quod eius maliciam cognoscere non potest, sed certe inquit scio quod istius Imperij perditionis et mul-

torum Christianorum damni et iacturę causa erit, quia neque bonus Turca est neque Christianus, et omnia eius uerba fincta et adulata sunt. O quantum opus misericordię inquit et quantum deo et omni Europę et Asię gratum esset si iste canis ab aliquo interficeretur quia eo mortuo undique pax et tranquilitas exoriretur, Ego inquit scio si dominus Imbrahinus Bassa hic fuisset quod res multo melius successissent. Tandem rogauit me ut eum Maiestati uestrę Regię tanquam domino suo Graciosissimo comendarem, offerens se ad quelibet Maiestatis uestrę seruicia paratissimum itaque abiuit./.

Habitis itaque litteris Cęsaris statim Aloisio Gritti me expeditionem habuisse significaui et quod eo die secum conuenire et ab eo ueniam accipere optarem. Ipse uero respondit quod ex ulceribus quibusdam egre laboraret et quod pro eo die Audienciam mihi dare non posset sed ut sequenti die mane ad eum uenire deberem./.

III^A Audiencia Aloisij Gritti

Quarto die mane transuexi ultra portum maris ad Galatam et ad domum Aloisij Gritti iui eumque in horto suo spaciantem inueni et statim ad locum vnum remotum me uocauit, et interrogauit me an expedictionem meam ab Aias Bassa habuissem. Dixit postea quod Aias Bassa litteras illas Maiestatis uestrę que postremo uenerant ad eum misit, in quibus Maiestatem uestram de aliquibus incursionibus quę ex Bosna et Hungaria in limites et loca Maiestatis Vestre fiebant, conqueri dicebat, sed nomina personarum illarum a quibus comitebantur in litteris non contineri, quod si eorum nomina sibi nota essent ne talia amplius facerent eis preueniret. Sed nuper a rege suo quoque litteras habuisse dicebat in quibus ipse tantundem conquerebatur quod Hungari subditi Maiestatis uestrę in loca sua continue cursitabant et multa mala sibi inferebant. De quibus rebus Maiestas uestra conquęrebatur se aliter intelligere non potuisse quam quod aliqui equites Turcę ualentini ad quadraginta uasa uini Iohani regi pertinencia ceperint, quę tandem ab equitibus quibusdam eiusdem Iohanis, profligatis et occisis nostratibus recuperata sunt./.

Sed deo uolente inquit quod ipsemet cito in Hungariam ueniet, et quod lites illas foeliciter componere sperabat: et quod prius ad regem suum se conferet et ex eo negotia omnia quo pacto acta sint intelliget, Tandem nuncium ad Serenissimam Maiestatem uestram mittet qui a Maiestate uestra de loco in quo Maiestas uestra secum conuenire uoluerit informabitur, et ipsemet ad Maiestatem Vestram Regiam ueniet, et solus nulla alia persona interueniente cum Maiestate uestra loquetur, et tandem negotia omnia pro rei neccessitate Hungaris tamen non interuenientibus tractabit quia omnes latrones et rebelles esse sciebat nihilque eis confidendum esse, et sine dubio inquit negotia non componerentur neque ad tranquilitatem et pacem redigerentur si ipsorum consilia interuenirent, sed cum solus omnia negotia cum Maiestate uestra tractauerit omnia foeliciter concludere et confirmare sperabat./.

Dicebat etiam Cęsarem ad magnam iram propter illa capitula de quibus superius dictum est comotum fuisse, sed quod ipse suis uerbis eum placauit, ita quod rem totam in suo pectore remisit et autoritatem facultatemque plenariam omnia agendi concludendi

et pro uoluntate sua promouendi sibi dedit ac si ipse Cesar aut Imbrahinus Bassa personaliter interesset, Ideo omnia feliciter componere et concludere sperabat./.

Sed hoc mirum esse dicebat quod illud perfidum ac pessimum hominum genus a tantis aduersitatibus et infortunijs aliquoties agitatum, aduc a litigijs non desistat, et iurauit si deus tantum gratię sibi concederet ut semel illam miseram Hungariam in pacem et quietem redigere posset quod nec unum diem in ea uellet residere, quia multo libencius domi maneret et suis rebus domesticis operam daret quam die noctuque absque quiete a tot laboribus et fastidijs contundi./.

Sciant inquit omnes Principes Christiani eum etiam Christianum esse et nihil unquam contra fidem Christianam egisse (quod tamen ab aliquibus secus habetur). Verum esse quod deus eum in seruitorem Imperatoris Turcarum destinauit sed non sine magno misterio, quia eo mediante regnum Hungarię e manibus Turcarum utcunque liberatum et reseruatum est, quod turcę penitus occupare et sanzachos in id mittere (ut in Albam Grecam Bosnam et alijs locis) et id Cęsari turcarum subiectum tenere uolebant, quod sua persuasione tantum vetitum est, et tantum apud Cesarem et Imbrahinum Bassam effecit quod ambos in suam opinionem compulit et atraxit. Itaque suo medio id regnum liberatum esse dicebat. Neque inquit putent aliqui quod ipse plus regem Iohanem quam Maiestatem uestram faueat et quod postquam diferencię huius regni in eum terminatę sint parcialis esse uelit aut sibi statum siue diuitias optare. Absit illud inquit a se et deum precabatur ut eum funditus perderet si talia cogitaret aut in Animo haberet, quod re uera postquam ad Maiestatem Vestram uenerit palpabitur et uidebitur./.

Et hec sequentia iussit ut Sacratissimę Maiestati uestre suo nomine referem In primis ut eum Sacratissimę Maiestati uestre uti domino suo Graciosissimo comendarem, et quod circa finem mensis marcij Budę comperietur, et quod a rege suo Iohane omnium negotiorum informationem accipiet, et tandem se personaliter ad regiam Maiestatem uestram conferet et omnia negotia cum Maiestate uestra tractabit ita quod Maiestatem uestram contentam futuram sperabat./.

Tandem inquit se ex italia noua habuisse quod aliqui principes iterum bellum et discordiam suscitare uolunt, et quod pontifex ex marsilia cum quadraginta triremibus consumatis inter neptim suam et secundogenitum regis francię nuptijs romam rediturus discessit, et quod Rex Galię cum rege anglię in aliquo certo loco limitum conuenire debebant, ita quod nihil boni ex ijs rebus debere procedere putabat, Cesarem suum etiam magnam armatam preparare dicebat cui Barbarossam prefecit eamque tempore ueris statim extra strictum Callipolis mittet, ita quod undique magna incendia exoriri uidebat, quę sibi ualde displicere demonstrabat, Quia prestaret inquit ut principes Christiani inter se bella et litigia dimitterent et alia magis neccessaria progrederentur, sed forsan inquit deus hec omnia componet et sua gratia et misericordia in bonum fidei suę ea disponet. Tandem iussit litteras quas ad regiam Maiestatem uestram scripsit afferi./.

Interim ego sibi ingentes gratias egi de bona oblatione et grato eius animo erga Serenissimam Regiam Maiestatem uestram dominum meum Clementissimum, et eum

rogaui ut in ea opinione tam bona perseuerare uelit, Quia si cum Maiestate uestra conueniet dixi quod regem et principem tam humanum iustum et pium uidebit, quod procul dubio affectionem et amorem erga principem omnibus uirtutibus dotatum ferre cognoscet, et quod ipse Maiestati Vestrę, cum eadem eum iustum et prestantem esse cognouerit, gratissimus erit. Ad que ipse respondit se de his omnibus certum esse et dum hec loquebatur bine littere quarum vnas Maiestati Vestre et alias patri meo scripsit aportate sunt easque mihi perlegit./.

Demum interrogaui an aliquid in eo capitulo in quo Maiestas uestra Imperatori Turcarum ad componendam pacem inter Sacratissimam Cęsaream et Catholicam regiam Maiestatem et eum, se offerebat actum aut tractatum esset, ad que ipse respondit nihil tunc actum esse, sed se de hoc etiam autoritatem habere. Tandem dixit quod litteras illas (de quibus superius dixi) sigillaret et sequenti die eas ad me mitteret, itaque sureximus et deambulando rogaui eum ut prouideret ne depredationes amplius ex Bosna et Herzegouina in confinia Maiestatis uestrę fierent. Ad quę respondit et promisit se prouidere uelle et quod supra caput suum id remittam et confidem nam inquit istum nouum Bassam bosne qui Mechmet beg Michalogli uocatur suo auxilio et fauore in eum Sanzachatum positum esse, et quod litteras ad eum scribet, et ipse omnia faciet quę idem Aloisius iubebit. Facta est enim mutacio trium Sanzachorum. Prima est quod Hussref beg primus Bassa bosne in locum Mechemeti begi Sanzachi Albegrecę successit, et iste mechemet beg in greciam in sanzachatum istius Mechmet beg Michalogli qui nunc Bassa bosnensis est successit./.

Nota. Rogauit etiam me Aloisius ut apud Regiam Maiestatem Vestram vnum saluum conductum aut litteras passus pro quodam Fęlice Cęsarino ueneto impetrarem ut ex uenecijs per prouincias Maiestatis Vestrę aliquas merces eidem Aloisio pertinentes usque ad Budam libere et impedite ducere et transferre posset, et rogauit me ut id saluum conductum aut litteras passus uenecias ad manus fratris sui Laurencij Gritti mitterem, et dixit quod in hoc Maiestas uestra sibi ualde gratificabit. Itaque si Maiestati Vestre aptum et comodum eas facere uidetur, eadem Maiestas Vestra ut scribantur gratiose dignetur ordinare et domino patri meo ad manus mittentur quas ipse uenecias uersus ad manus eiusdem Laurencij gritti statim mittet itaque ab eo ueniam accepi et domum redij./.

Hec sunt omnia que ego in Constantinopoli cum domino Aias Bassa et Aloisio Gritti egi et tractaui. Nunc autem noua que illic habentur annotare operepretium existimaui ut Maiestas Vestra de rebus omnibus sit informata./.

Principaliter Imperator Turcarum expeditionem magnam facit contra regem persarum siue Sophiam

Vigesimo quinto octobris Anni superioris Imbrahinus Bassa cum tribus millibus Ianizaris et maiore parte Zaussorum et Spachiarum hoc est nobilium ex porta Cesaris ex Constantinopoli in Natuliam profectus est, ad refirmandas prouincias et ad coadunandum exercitum asiaticum et ad preparanda vectigalia: Secum Schender Zelebi Thesaurarius Cęsaris profectus est: Nunc autem est in Haleppo Ciuitate ad limites Egipti sita et illic aduentum Cesaris cum exercitu de romania expectabit hec ego pro vera intellexi./.

Vigesimo primo die nouembris Barbarossa qui Turcice Hairadin beg uocatur cum decem et octo uelis magna pompa et triumpho Constantinopolim uenit, que uela erant septem biremes que alias fuste uocantur et quinque triremes parue que Galiote uocantur et sex triremes quas Galie Bastarde appelant Omnes pupes rubro panno coperte erant et Mali cum anthenis rubro colore depincti Datum est sibi hospicium prope domum Imbrahini Basse et expenssa ex Cesaris porta

Vigesimo nono die Barbarossa ad Cesaris audientiam iuit et dedit sibi dono centum pecias Scharlati et ducentas pecias panni Aurei et sericei et uigintiquinque pulcherimos Pueros quorum senior duodecimum ętatis annum non excedebat sericeis uestimentis indutos, singulis manibus unum poculum Argenteum deauratum tenentes: et duos eunuchos./.

Imperator eum prefectum tocius suę classis creauit et sibi hoc anno centum triremes ultras suas proprias dabit, quo autem eisdem proficiscetur nemo scire potest: sed existimatur quod in custodiam moreę donec idem Cesar ex expedicione persica reuertetur manebit./.

Idem Imperator omnes Ciuitates Pelloponessi et totius Grecię mari adiacentes, Artelarijs uectigalibus hominibus et quibusuis munitionibus ad Bellum neccessarijs et ad sustinendam quamuis grauem obsidionem aptis muniuit, propter metum Cesareę et Chatholicę Regię Maiestatis etc.

Intellexi tamen a quibusdam fide dignis uiris, si res sue cum rege persarum foeliciter sibi successerint quod statim maritimam expeditionem faciet contra eandem Sacratissimam Cęsaream et Catholicam Regiam Maiestatem et in apuliam transibit, Ideo in Arsenali suo incessabilliter triremes edificantur et iam plusquam ducente perfecte sunt: Hec tamen Maiestas uestra in his litteris hic apositis quas quidam Credenciarius Aiass Basse ab eo multum amatus et qui multa secreta intelligere potest scripsit ad quendam suum dominum Vratislauiam nam et ipse Vratislauiensis est./.

Vigesimo secundo die supradicti mensis Orator Serenissimi Regis Polonię dominus Andrea de Tenzen Chastellanus Chracouiensis Constantinopolim uenit, et uigesimo quinto die audientiam a Cesare habuit et duo pocula de Argento deaurato et Clepsydram quandam paruam sibi dono dedit et licenciam habuit Hierosolymam proficiscendi et quindecimo decembris ex Constantinopoli recessit cum vno Zausso Cesareo et per quam uiam ibit redire debet./.

Quindecimo decembris quinque Zaussi ex Haleppo per postas ab Imbrahino Bassa missi ad Cesarem uenerunt, petientes ut Barbarosam quamprimum ad eundem Bassam proficisci permitteret, quod Cesar statim permisit et decimo octauo die Barbarossa Haleppum iturus cum quadraginta equitibus abiuit sed in vna triremi usque ad Bursiam transijt et inde in curro cum supradictis equitibus usque ad Haleppum profectus est. De reditu autem suo cum ego ex Constantinopoli discessi nihil intelligebatur./.

Georgius Gritti cum omnibus suis bonis uenecias profectus est nec Constantinopolim redire putat: Abijt ex Constantinopoli vigesimo nono decembris./.

Omnes Mercatores Veneti Florentini Rhagusienses Genuenses et alij qui comodi-

tatem habent, sub specie onerandi naues mercibus et ad partes Italię uehendi, fugiunt quia pronostica Turcarum Imperatorem eorum hoc anno a persis debere confligi et trucidari demonstrant, quod si eueniret omnes christiani mercatores in illis partibus agentes a turcis interficerentur et hac causa fugiunt et post captiuitatem Coronis a turcis male tractantur./.

Regem persarum potentem esse aiunt et cum magna Audatia ad limites se apropinquat et turcas ad prelium quod in eorum prouincijs comittere uult prouocat./.

Vigesimo sexto nouembris quidam Troilus pignatellus nobilis neapolitanus homo iam canus et longam albam barbam habens celeri itinere ex neapoli cum septem seruitoribus Constantinopolim uenit et per aliquot dies uictus ex porta Cesaris sibi non dabatur sed cum quadam oculta pratica uenit que nemini nota est tamen ego suspicabar ab illis qui fortasse in regno neapolitano et alibi aliquam ocultam praticam cum turcis habere possunt eum missum esse

Quod autem negotia Maiestatis Vestre hoc modo nunc successerint non est mirandum, quia absente Imbrahino Bassa, Aloisius Gritti et Aias Bassa omnia pro eorum libito et uoluntate agere potuerunt quia secus quam Maiestas uestra scripserat Cesarem informauerunt similiter et Imbrahinum Bassam: quia litteras de uerbo ad uerbum non traduxerunt sed nudum sensum tantum: et ea que res suas accomodare et aprobare posse existimabant adiunxerunt, Si Imbrahinus Bassa his negotijs interfuisset res prius tractatas non abnegasset sed recte obseruasset et crimen de mala informatione in oratores Maiestatis Vestre non iecisset./.

Sed hec omnia etiam ex persuasione et stimulatione multorum malorum Christianorum procedunt, qui inuidi de bono, et amplificatione status Regię Maiestatis uestrę Cesari turcarum suadent multum prestare debilem uicinum quam potentem habere, et istis continuis falsis practicis Regię Maiestati Vestrę insidias tendunt et preparant quibus Maiestatem Vestram in aliquod infortunium inducere et consilia bona Maiestatis Vestre anichilare tentant Ideo Sacratissima Maiestas Vestra hec diligentissime perpendat et perspiciat./.

Est autem nunc in Porta Cesaris propter absenciam Imbrahini magna confusio quia nullus est qui rem aliquam seriosam et grauem ad instar Imbrahini capax esset tractandi quod aperta experientia uidetur quia nihil agere aut concludere absque eius scitu et uoluntate possunt: ideo nuncios per postas indies ad eum mittere oportet: neque aliquem Secretarium habent qui fideliter latinas litteras traducere sciret./.

Magna est etiam confusio in domo aloisij Gritti et omnia sua domestica retrocedunt quia nullum uirum prouidum habet, et nullum qui linguam latinam caleret: preter Tranquillum Dalmatam Iohanis uoiuodę Secretarium, qui nunc apud aloisium non est, sed ipse Aloisius latine scire et intelligere sibi persuadit et nihil scit, nam littere quas ad Maiestatem Vestram scripsit a Secretario Baili uenetorum composite sunt ita quod dubitandum est quod sibi secretta aliqua de rebus Maiestatis Vestre comunicauerit et dubitandum est etiam quod Iohani uoiuode copias litterarum Maiestatis uestre ostendet nam uir est falax et raro que promittit obseruans: Nunc autem ipse omnia datia Cesaris

que in Constantinopoli sunt et in omnes ciuitates maritimas grecię in manibus habet tamen dum ego illic eram pecunijs carebat: et multo prius se ad hoc iter expedijsset si aliquos suos seruitores quos Chatarum ciuitatem uenetorum ad limites Albanię prope mare sitam miserat non expectasset, qui triginta millia ducatos aureos illic accipere et sibi ferre debebant quos ueneti pro satisfacione cuiusdam summę tritici quod eis ex Constantinopoli miserat illic reposuerant et ego in reditu meo illos suos seruitores trigesimo Ianuarij Constantinopolim cum pecunia illa redientes, ad triginta Germanica milliaria longe a Chataro, in itinere inueni sed ante quindecim dies eo peruenire non poterunt sed scio quod quamprimum uenerunt Aloisius Gritti discessit./.

Ideo cum ad Regiam Maiestatem Vestram perueniet et eadem de eius natura informata sit Serenissima Maiestas uestra omnia negotia quam prudentissime secum tractare et agere sciet et ea ad uoluntatem Maiestatis Vestre redigere./.

Nunc autem Serenissima Regia Maiestas uestra dominum Cornelium Duplicium Scepperum et meum patrem iterum in legationem Constantinopolitanam expediuit: et Cesar Turcarum (ut comunis est rumor) hoc festo Sancti Georgij proximo futuro cum exercitu ultra mare in asiam contra persas proficisci debet et nunc neque Imbrahinus Bassa neque Aloisius Gritti illic non est quapropter omittere non potui quin de hoc humillime omni cum reuerencia Maiestatem Vestram admonerem ut eadem Maiestas Vestra posset eis de eo quod facere deberent nouam comissionem dare./.

Hunc autem sequentem sermonem quem cum Georgio Gritti in reditu meo in planicie philopopulis habui etiam notandi operepreciumm mihi uisum est./.

Quindecimo Ianuarij mane ex philopopuli discessi et transito fluuio mariza a longe Georgium Gritti cum famulis et sarcinis suis equitantem uidi Ad quem ego statim me contuli et eum (ut decebat) salutaui, ipse me etiam resalutauit et leto uultu suscepit offerens se ad omnia quibus domino patri meo et mihi gratificare posset paratum esse: et dixit quod sperabat cito ad istas partes uenire nam postquam dominum Aloisium fratrem suum in Hungariam uenisse presciet ad eum proficiscetur si modo differentię inter Serenissimam Regiam Maiestatem Vestram et Iohanem Voiuodam aliquo bono pacto (de quo ipse non desperabat) componerentur nam certe inquit crede mihi tempus esset ut litigia et differencias dimitterent quo pauperes subditi quiescerent et ipsi semetipsos amplius non debilitarent, Nam continuis rixis semetipsos debilitant, nihil efficiunt et istarum bestiarum (turcas inferens) animos et uires exaltant./.

Ad quę ego serenissimam Regiam Maiestatem uestram semper pacis et concordię cupidam fuisse respondi: et ex parte Maiestatis Vestrę nunquam aliquid tale quod pacis contrarium decerni potuisset accidisse, quot tamen ex parte aduersa sepe accidit: Sed negotia statuum et regnorum quantum auida et chara sint: et sua re propria spoliari suoque iure hereditario priuari: quid durius aut impacibilius sit facile considerare posset. Ideo si differentie inter Maiestatem Vestram et Iohanem Voiuodam aduc concordate non sunt ob supradictas causas mirum non esse: neque me credere si in sua opinione resistere uoluerit, eas tam cito componi posse Quia Iohanem nullum iuss in eo regno habere dixi, sed id iure hereditario Maiestati Vestre pertinere et quod ideo ipse

omnium preteritorum malorum origo fuit et successorum (si qua succedere possunt) causa erit./.

Ad que ipse hoc modo respondit, Apud se Serenissimę Regię Maiestatis uestrę animum pro parte satis bene cognitum esse: eo enim nihil generosius esse et quod ideo Maiestas uestra semper magis bellum quam concordiam et pacem uisa est incitare, et hoc claris exemplis aliquoties probatum: nam cum primitus Maiestas Vestra oratores ad petendam pacem ad Cesarem Turcarum miserat quod Maiestas Vestra oratoribus Constantinopolim existentibus exercitum in Hungariam ad obsidendam Budam delegauerat dixit, in qua obsidione frater suus Aloisius cum Iohane Voiuoda comperiebatur, et idem inquit fecit cum pater tuus ad Cesarem uenit et nunc etiam aliquem exercitum coadunauit: quamquam eum ad munienda et custodienda loca sua coadunasse notificat Ideo inquit hec animos istarum Bestiarum ualde comouerunt et in maximam suspicionem compulerunt, et hac causa cum Cesar in expeditione hungarica erat, Iohanes Rex postquam se erga Cesarem humiliauit regnum dono impetrauit./.

Et melius est inquit pro bono reipublicę Christianę quod res taliter successe sint, quia etsi rex Ferdinandus post discessum Cesaris in regnum ingressus fuisset et id obtinuisset; tamen iterum Cesarem ad deuastacionem et ultimam perdicionem miseri regni et depopulationem pauperorum subditorum prouocasset nec unquam in eo Pax fuisset donec totum perditum ac deuastatum mansisset ita quod ciuitates sole mansissent sicut in Dalmatia et Chrouatia egit, et demum aliquot sanzachos in id misisset qui tandem plus ultra multa damna pauperibus subditis intulissent Ideo melius est quod res ita successe sint: Nunc autem hoc modo utcunque in Christianorum manibus mansit./.

Et est ad similitudinem inquit vnius Argeris qui totam vnam prouinciam ab impetu alicuius fluminis deffendit ita quod flumen illud prouincie nihil nocere potest: Nam regno Hungarię mediante Hostis iste Christianę fidei a multis prouincijs absens et longinquus detinetur ut est Crouatia, Sclauonia, Carniola, Stiria et Austria que prouincie omnes solo Hungarię regno defenduntur, quę si secus esset continuas incursiones et deuastaciones patirentur, melius est enim tantum hostem longe a se habere quam propinque Ideo id regnum a Cesare donatum nunc Rex Iohanes possidet

Serenissimus autem inquit Rex Ferdinandus tantum hac causa se comouere non deberet: sed uidens res istas pro nunc aliter succedere non posse, id quod pro bono reipublicę Christianę et pauperorum subditorum esset consulere et modum aliquem pacis et concordię componendę querere deberet, ne semetipsum continuis bellis et rixis debilitaret suosque inimicos suo damno exaltaret./.

Rex enim inquit Iohanes diu uicturus non est quia iam indecrepitę et impotentis ętatis est Heredesque non habet: Post mortem igitur suam in id regnum nemo nisi sua Serenissima Regia Maiestas succedet Consulat ergo bono totque litigia dimittat./.

Ad que ego respondi postquam dominus Aloisius in hac re mediator electus est quod ipse omnia bene (dummodo uellet) componere et tot rixas tolere posset ita quod utraque pars contenta maneret et quod hac causa aduentus suus ualde a Maiestate Vestra desiderabatur. Ad que ipse respondit Aloisium fratrem suum profecto id effecturum quod

fideli christiano principi pertinet nec esse de aliqua parcialitate dubitandum: demum demissis his uerbis ab eo ueniam accepi et abiui

Hec sunt omnia que in Constantinopoli et extra Constantinopolim contigerunt, quę ego fideliter et syncere nihil adiungendo nihilque omittendo annotaui: et si fortasse Maiestas uestra in hac mea ennaratione cognosceret quod in aliqua re mandata Maiestatis uestrę transgressus fuissem et ut deceret me non gessissem aut alio quocunque errassem: Sacratissimam Maiestatem uestram dominum meum Clementissimum humillime precor ut mihi parcere et indulgere dignetur et recognoscere id ex iniquitate mea non processisse sed potius ignorantia et simplicitate iuuentutis meę: et fidelem meum Animum et Cor inmensa gratia et benignitate recognoscere: Et me Sacratisissimę Regię Maiestati Vestrę domino meo Clementissimo humillime flexo genu comendo etc. Data Pragę quinto marcij Anno a natiuitate domini nostri Iesu Christi M.D.xxxiiii°.

Eiusdem Sacratissimę Maiestatis Vestre

Humillimus et deditissimus Seruitor

(L. S.) Vespasianus Gilius de Zara

XXVIII.

Schreiben des Cornelius Duplicius Schepper an König Ferdinand I.

Fiume, 8. März 1534.

Aus dem von Schepper durchaus eigenhändig geschriebenen Originale, im k. k. geh. Haus-Archive.

Sacratissima Regia Maiestas

Ea intentione et animo ex Hispaniis ad Maiestatem vestram a Cęsarea Maiestate missus sum vt eiusdem Maiestatis vestrę nomine quam primum proficiscerer Constantinopolim, siue adueniret Aloisius Gryti siue non. Mihi autem nihil iucundius est quam vtriusque Maiestatis vestrę iussibus obtemperare, quibus hanc vitam iampridem deuoui. Veni itaque Lubianam vbi aliquot dies substiti partim ob grauissimas inundationes quę iter precluserunt et multis fuere perniciei, partim prestolatus, sarcinam cum vestibus quę necdum aduenit. Denique quod viderem ad nauigandum inidoneis temporibus ob tempestates, parum referre illic ne an Tharsaticę morarer. Pacatiore celo veni Tharsaticam vbi ex Magnifico Domino Hieronymo de Zara Capitaneo Maiestatis vestrę certior factus sum de omnibus quę ipsius filius Vespasianus attulit. Contulimus etiam simul instructiones et literas, desuperque quid deliberauerimus aliis nostris literis declarauimus. De quo quidem nostro facto tametsi satis persuadeam, Maiestatem vestram ita iudicaturam quemadmodum rei qualitas exigit, nolui tamen obmittere quin has breues adiungerem, et consyderanda quedam eidem preberem.

Atque imprimis Verissimum est Cęsaream Maiestatem omnino voluisse me vti Constantinopolim transferrem. Id quod facturum me recipio libenter, et libentius quam quieturum. Sed tunc Maiestas sua credidit ibi fore Imbrahimum Bassam quicum agere possem, nihil de Sophy, nihil de profectione Cęsaris Thurcarum scitum fuit. Credidit preterea eadem facilitate iter illud fieri posse qua factum fuit prius. Quę sane omnia vti supradicta sunt, ego etiam credidi. Si enim existimassem abfore Imbrahimum, cum quo solo negocium nobis fuerat, neutiquam hanc suscepissem prouinciam, gnarus qualiter isthic transigantur negocia. Nunc autem cum intelligo illum abesse, Cęsarem Thurcarum graui bello premi à Persis, Omnes Christianos et imprimis Georgium Griti ex Constantinopoli fugere tanquam prescios alicuius calamitatis quę imminet, Mortuos esse fratrem Bernhardinum Minoritam, Draconem item Gotium Rhagusinos per quos soliti eramus rescire quid isthic rerum ageretur, Abesse Aloisium, Summam rerum penes neminem esse ne Cęsarem quidem ipsum Thurcarum sui iuris esse; Quid mihi spei superesse potest alicuius rei bene gerendę cuius solius intuitu egomet me non semel obieci periculis!

Accedit violentia Petri Crusitz per quam haud dubie accessus ad foelicem illam portam vt vocant, non satis tutus est iis qui solum à Maiestate vestra dependent, de me vt taceam qui habeor pro Cęsareo! Vt ne illud pretermittam pacati in Grecia nihil fore abeunte nunc Thurcarum Cęsare, sed omnia latrociniis foedata iri, A quibus ne presente quidem eo satis liberum iter est.

Apud me itaque perpendi et ita existimo. Eum qui a domino suo ad aliquid transigendum missus est, imprimis debere consyderare finem propter quem missus est, qui finis vt vltimus est executione ita primus esse debet voluntate. Finis itaque propter quem me Cęsarea Maiestas misit, est vt impediantur Thurcę ne iis annis proximis et presertim hoc ipso, bellum inferant Christianitati. Impediri autem id posse putauit si inducias vel abstinentiam belli aut pacem etiam conditionalem cum illis facerem ipsius nomine, ad quod me literis habunde muniuit. Secundum fuit vt me illuc conferendo et Constantinopoli aliquandiu manendo, diligenter rescirem qualiter omnia agerentur, quid intenderet Thurca, quibus esset viribus, quid appararet, et cetera similia quę speciatenus oratores, re vera certissimi exploratores, inquirere solemus De quibus omnibus per literas aut per memet vtramque Maiestatem vestram certiorem facerem.

Hęc duo fuere propter quę missus sum quę ego sane bene intellexi et tam Christianitatis quam vtriusque Maiestatis vestrę nomine, obiectare caput istud periculis neque desii vnquam neque intendo desinere. Sed primum illud tale est vt iam sine me factum sit. Deus enim qui semper adfuit rebus Maiestatum vestrarum, huic truculento hosti, obiecit aduersarium qui illi tantum facessit negocii vt de Christianitate inuadenda non cogitet, vix speret se sua posse tueri. Neque breue est istud bellum. Si enim vicerit priusquam Armeniam maiorem ceterasque prouincias quę premia erunt victorię ad subiectionem suam redegerit, imperium in illis suum stabiliuerit, elabetur biennium nequid maius dicam. Huius enim pater Selymus, diligentia et celeritate qui predecessores omnes suos anteiuit, biennium in simili negocio post victoriam contra Sophy habitam insumpsit quantumuis nihil adhuc stabilierit, quod non protinus redierit ad pristinum dominium.

Sin autem victus fuerit nihil ab illo est Carolo Cęsari futurum negocii. Siue autem vicerit, siue victus fuerit, non paruo illi constabit, neque sine sanguine multo res transigetur.

Superest id tantum quod metui potest ne pacem cum Sophy faciat. Id quod inter tam discordes et dispari animo et religione, memores paternarum iniuriarum, et alteros etiam iuuenes et feruentes necdum aduersa passos, existentibus tam magnis premiis victorię, qualia sunt imperium Asię et Ægypti et Syrię ne quid de Grecia dicam, fieri posse, dici magis potest quam coniecturari. Omnino autem verisimile est tam magnos apparatus non esse vtrimque factos vt in foedera coeant.

Satis igitur puto ostensum esse, bellum tam cito nobis à Thurcis non imminere. Graue dico illud et tale quale timebatur, neque frustra, nisi deus hunc aduersarium tam potentem excitasset. Nam quod Barbarossę classis magna data est, et illa vt quidam centum vt alii quadraginta triremium, mirum non est, neque magni etiam momenti. Neque enim credendum est Barbarossam temere aliquid attentaturum, neque in periculum esse hanc classem ducturum, qua perdita, deploratę sint res Thurcarum. Littora solum sua et Grecię tuebitur et si quid per occasionem poterit facere, in illam intentus erit. Neque ego vnquam fore puto vt si pax etiam fieret, mare pacatum tranquillumque reddatur à Barbarossę excursionibus, quippe cuius regnum dominiumque, omnesque spes in pyratica sitę sunt. Est igitur à iusto bello ex parte Thurcarum Carolus Cęsar tutus sine pace sine induciis ipsius nomine factis, sed ex solius dei procuratione.

De Corone autem audio prohibitum esse ne quis verbum aut sermonem vllum faciat Constantinopoli, vt etiam si nunc illic essem vix putem mentionem desuper facere posse exarcerbatis animis et irritatis. Explorare autem aliquid etiam si adessem non possem, mortuis vti dixi bonis illis viris et aliis fugientibus; nemine adfuturo quicum agerem.

Et hęc quidem tametsi talia sint et talia esse sciam, protinus tamen aduolarem et aduolabo Constantinopolim si mihi Sansachus Czertzogouinę securum transitum dederit. Ad quod resciendum cras hinc abeo Rhagusium. Si autem non dederit, non debebit egreferre Maiestas vestra quod rediturus sum ad eamdem, vbi non erimus inutiles Hieronymus de Zara et ego vt qui verborum ab Aloisio Griti habitorum, illi memoriam incutere poterimus. Interim autem Rhagusii diligenter omnia sum exploraturus. Veniunt enim illuc ex Thurcis quam plurimi singulo die. Et quia idem Sansachus priusquam saluum conductum det missurus est ad portam domini sui, nec nisi habito responso ab eadem, mihi responsurus est sane intercurret adhuc mensis vnius spacium. Quo tempore mihi morandum erit Rhagusii. Id quod ideo dico ne Maiestas vestra credendo omnia tam facile fieri posse, fallatur. Et de Corone quidem non video quid agi possit nisi per medium Gryti.

Hęc sunt a nobis breuiter transcursa, quę quia vera sunt, scribenda ea duxi. Vterque nostrum Hieronymus scilicet et ego parati sumus ad quoduis. Tantum displicet quod non possumus quantum velimus. Iterum dico, violentiam Petri Crusitz periculosissimam fore, nisi Thurcę ab altera parte impedirentur. Dignabitur Maiestas vestra in suis ad Maiestatem Cęsaream literis excusatum me habere. Non enim per nos stat aut stabit quominus ex voto res fiant sed per qualitatem temporum et indispositionem rerum,

absentiam Imbrahimi, egressum Cęsaris Thurcarum, quem abeuntem in Asiam, si Constantinopoli essem, sequi non possem. Mille enim ducati qui mihi fuere pro viatico consignati, breui dilabuntur Et iam pars in equos postarum non exigua absumpta est, alia absumetur nauigiis et necessariis ad nauigationem Neque trans mare ex aëre viuitur, et si Sansachus conductum dederit, gratis non potero aduenire Constantinopolim. Id quod ideo dico ne Maiestas vestra putet mihi possibile esse Thurcam sequi in Syriam aut Persida. Et satis habiturum negocii si rediero ad Maiestatem vestram. Quę omnia spero eamdem Maiestatem suam pro regia sua benignitate et incredibili iudicio, perpensuram et boni consulturam esse. Quam foelicissime valentem conseruet Christus. Ex Flumine sancti Viti quę et Thersatica, die octaua mensis Martii Anno Domini xv^c xxxiiij°.

Eiusdem Maiestatis vestrę

Humillimus Inseruitor
Cornelius Duplicius Scepperus

XXIX.

Schreiben Desselben an Hieronymus von Zara.

Ragusa, 31. März 1534.

Aus dem von Schepper durchaus eigenhändig geschriebenen Originale im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Auf der Adresse steht von einer fremden Hand: Noua Turcica Cornelius Scepperus.

Magnifico et Strenuo Domino Hieronymo de Zara, Equiti Consiliario Capitaneo Prefectoque nemorum Regię Maiestatis Rhomanorum Hungarię etc. Domino Patri et amico plurimum Honorando/

Das Siegel ist abgefallen.

Magnifice et Strenue Domine Pater Honorande./ Decem et octo diebus fuimus in mari ob maximas tempestates et contrarietates ventorum quę non paucas naues absumpsere. Tandem xxviij° huius venimus Rhagusium sumque hospitio susceptus apud fratres minores. Fui autem in mari bene tractatus à famulis Dominationis vestrę omnibus. Quare eidem Magnificencię vestrę plurimas ob id gratias ago commendoque eidem Petrum Bombardarium qui se exhibuit diligentem et fidelem. Inueni itidem hic Rhagusii Christophorum de Arba qui anno superiore me transuexit qui petiit vt se quoque eidem Magnificencię vestrę commendarem Id quod et facio. Scripsi itaque confestim ad Sansachum Hertzogouinę et ad Cęsarem Thurcarum et ad Aloisium Gryti. Ex quo Sansacho exspecto responsum./ Neque volo Magnificencię vestrę ignotum esse qualiter heri aduenit vnus Bergantinus missus a Hieronymo Canaletto, qui attulit literas ad dominos Rhaguseos qualiter octo naues magnę siue bargę venissent Coronem et victualia bombardas gentesque inibi existentes incepissent onerare, ad transportandum ipsas in Siciliam. Ita quod exnunc creditur Coron esse vacua et dimissa. Scribitur autem quod Cęsarea et Catholica Maiestas ipsam Coron dedisset regię Maiestati, et Regia Maiestas eam Thurcę, in cambium Budę. Quid de hac re sit Magnificencia vestra, et ego, melius nouimus. Di-

xit autem magister illius Bergantini qualiter iam tunc quando ipse discessit ex Zanthe, Hispani omnes discessissent, et Thurcę iam habuissent Coronem occisis pueris mulieribus et viris Christianis omnibus in circuitu Coronis habitantibus. Qualiter item Hispani ante aduentum nauium fecerant mirabilia, occisis plusquam septingentis Ianidtzaris et capto oppido nomine Brussa. Hęc sunt noua. Dicitur etiam quod Imbrahimus Bassa est in reditu et fecit inducias cum Sophy sed hoc pro vęro non scitur. Fit nihilominus magnus apparatus hominum qui omnes vadunt Constantinopolim et Callipolim sed nemo adhuc transiuit mare. Proinde quantum ad Coronem attinet non video esse opus quod illuc aliquis eat ex quo nunc est in aliorum manibus. Significo preterea Magnificencię vestrę qualiter Chefut Rays Maurus cum octo triremibus et decem et sex fustis parat intrare hunc golfum. Cum quo Chefut Rays non audet Canalettus confligere quia non habet nisi duodecim triremes, proinde erit opus custodire littora vestra quia non sine causa venit. Hęc sunt quę pro nunc occurrunt. Vbi primum habuero responsum aut à Cęsare Thurcarum aut à Sansacho, significabo id Magnificencię vestrę. Scribamque habito meliore tempore copiosius. Ioannes Michael Cusanus heri abiit hinc Venetias versus. Has literas Magnificencia vestra mittere velit ad Regiam Maiestatem. Cui Magnificencię vestrę et Magnificę Dominę ipsius coniugi totique familię me ex animo commendo eamdemque foelicissime valere cupio et exopto. Ex Rhagusio die Martis post Dominicam Palmarum Anno Domini M D xxxiiij°.

Hac hora venit posta ex Rhagusio dicens Imbrahimum Bassam breui fore Constantinopoli et Griti ire illi obuiam per decem dietas./.

Eiusdem Magnificencię vestrę

bonus filius amicus et inseruitor
Cornelius Duplicius Scepperus

XXX.

Schreiben Johanns Grafen von Tarnow, Wojwoden von Reussen und Kron-Grossfeldherrn, an König Ferdinand I.

Chmielnik, 8. April 1534.

Aus dem von Secretärshand geschriebenen und vom Grafen von Tarnow unterzeichneten Originale im k. k. geh. Haus-Hof- und Staats-Archive.

Sacræ et Serenissimæ Regiæ Romanorum Hungarię et Bohemię Maiestati etc. domino domino clementissimo

Das Siegel ist abgefallen.

Sacra et Serenissima Regia Maiestas domine domine clementissime

Perpetue seruitutis meę addictissima commendacione prępmissa Amplissima et munifica vestræ Sacratissimæ Maiestatis gratia qua nihil tale merentem planeque inofficiosum

*

dignatur seruitorem, cuius iure vestræ Sacræ Maiestati deuinctus sum et auctoratus, sollicitat, ac prorsus cogi me videtur, vt eandem gratiam qua vel maxime queam, fidissimis, beneuolis, et promptissimis seruitijs demereri contenderem, Et si certe ea est celsitudo vestræ Sacræ Maiestatis, vt mea tenuis paruitas, eius contemplacione, minus pręstare potest, quam nihil, Verum cum iampridem fidem meam, cum vniuerso simul studiorum et ministeriorum genere, ac me totum vestræ Sacræ Maiestati deuouerim, huc sedulo adnitor, vt aliquando ardentissimæ huic meæ auiditati vtcunque respondeam

Inpręsentiarum ratus officium meum esse, vt vestræ Sacræ Maiestati ratio ex me constaret eorum, que accepi, partim ex seruitore meo ad Himbrahimum Bassam cum munusculis quibusdam amandato, non in alium quippe vsum, quam vt pertanto eius animo, aliquod inde a me vestræ Sacræ Maiestati pręstari possit obsequium, quem offendit aduersus Persas contendentem, quemque Imperator etiam subsequi debuerat, tum ex Gritti Ludouici literis, quas huc ad quosdam dederat, quæ pręscire vestræ Sacræ Maiestati non incommodabit, quod hinc possit fortasse, quod ad rem conduceret, elici

Dederam ipse in mandatis seruitori meo, Himbrahimum hijs fęre conuenire et alloqui verbis, me magno et insolito desyderio teneri, non solum literis, et Nuntio visendi illum, sed vt in propria persona, coramque eundem visam, quo auctior inter nos per mutuam adeoque pręsentem noticiam confletur amicicia, tum et hijs causis me ad id inuitantibus, Primum, quod illi arcta erat amicicia cum socero meo domino Christophoro a Schidlowiecz Castellano Cracouiensi defuncto, Alterum, quod gentilem et consanguineum meum Ioannem Pileczki, in infęlici illa Regis Ludouici clade captum, vita et libertate donauerat, quo nomine me sibi obligatum reddidit, tum quod in illis oris, inter illas gentes, nec habet, nec habuit vnquam famæ celebritate parem, vbi tantum virum oculis contemplari non parum magna voluptas esset

Proinde nimiopere sum sollicitus, vt queam nancisci qua id commode assequi possem, occasionem, et dum mecum ea alcius reputo, hanc assequor pręcipuam, Nempe cum cuiuslibet viri boni sit officium, cum inter pares, tum inter summos Reges et Imperatores, quorum dissidia ingens orbi exicium adferunt, fędera et pacem conciliare studere

Itaque cum de Regno Hungariæ sit maxima altercacio, si fauore illius liceret mihi significatum aliquas condiciones, quæ si intelligerem quod suscipi et probari possint, velle me Serenissimo Regi Ferdinando easdem notas facere, quibus, tum authoritate eius, qua maxime pollet, tum quantulacunque opera mea, quam in hoc libenter, non ex alia, cum neutri adfectus sum, quam ex mencionata causa, impenderem, pax stabiliri et profluuium vtrinque sanguinis humani sisti possit, quam si conficeret ipse, perennem laudem et gloriam laudibus suis esset additurus, bellum etenim, vel a leuioribus excitari, pax vero, nisi summorum prudenciumque virorum authoritate confici potest,

Ad quę omnia ipse Himbrahimus Bassa humanissime, tum ad hunc pacis concordieque articulum ita respondit

Quod iampridem horum tumultuum finem libenter vidisset, cum Cęsaris parum referat, hic, aut ille Regnum illud possideat, modo ille sit, qui Cęsarem obseruet et bonam simul tranquillamque vicinitatem recolat, siquidem Hungariæ Regnum Imperator

nunquam ambiuit, si enim illud pro se vendicare voluisset, profligato Rege Ludouico, et Buda Regia sede, totoque Imperio Regni Hungari occupato, a populacione illius Regni temperasset illud integrum pocius possessurus, sed vastato in latum et longum, igni et ferro, inde se recepit

Rex vero Ferdinandus in Regnum illud inauguratus legauit Nuntios ad Imperatorem, repetitum scilicet Belgradum, et Regnum Bosthnę, innuendo, nisi restitueret, vi se recuperaturum esse, quę ipse Imperator Imperatorisque prędecessores armis et magnis viribus suę fecerunt potestatis. Proinde Imperator animaduertens se a Rege Ferdinando dispici, et in pugnam elici, collecta prępotenti manu, processit aduersus eundem Ferdinandum Regem, penetraueratque cum exercitibus in dicionem vsque suam, vbi non data confligendi potestate, iter Cęsar ad sua conuertit, Sequentibus deinde annis, rursus prouocatus a Rege Ferdinando Cęsar, ingenti, et horrendo apparatu magnis itineribus contra eundem Regem denuo contendebat, quoad etiam in penetralibus dominiorum eius constitisset, quibus duobus bellicis apparatibus tantum sumptuum, tantum impendiorum absumptum est, quantum quenquam exoluere vix possibile est

Quod si adhuc tercio Imperatorem meum, aut eius subditos lacessere perget, possum iureiurando affirmare, Imperatorem meum Regis Ferdinandi dominia durius inuasurum esse, omnesque eius adherentes, et suffragatores grauissimas temeritatis suę daturos penas

Si vero Rex Ferdinandus, vt cępit nunc, mansuete procedet, nec Cęsarem meum irritabit amplius, domino tuo, id ita postulante, lubens videbo, quod dominus tuus in hasce res se interponeret, nauaboque operam, quod res bono, et commodo fine terminabuntur

Percunctatus est deinde Nuntium meum, an Rex Ferdinandus optauit hęc per dominum tuum tractari, respondit ille plenam interponens fidem, Serenissimum Regem Ferdinandum prorsus ea latere, tantum dominum meum suopte, ea agere velle, ex causa iam mencionata

Subinde rogabat, an aliquas significarem et intimarem illi condiciones, quibus rem agi vel maxime cuperem, respondit, me nunc primum velle rescire ex se, si id mihi ille tractandum faueret, meque eius confidere prudencię et humanitati plurimum, easque propositurum esse condiciones, que nec difficiles, nec impossibiles esse videbuntur, et quibus non dubie concordia poterit conflari, vnde illi ingens glorię accessio fieret, ad hęc ille respondit, se in pręsens in itineris procinctu esse, itaque Rex Ferdinandus, interea dum redeo, aliquas suscipere inducias non abnuat, Tum vbi me reducem fecero, curabo certe rem bono, atque congruenti modo et fine transactum iri, vtque votis tui domini satis fiat, Cumque eo responso Nuntium, bona spe pluribus verbis data, dimisit,

Quod autem attinet Ludouici Gritti ea in re scripcionem ea fęre ad verbum fuit

Cęsarea Maiestas me expediuit Hungariam versus, cum authoritate sua et gentibus suę celsitudinis, mihique pręcepit vt cęptam concordiam inter hos dissidentes Principes authoritate suę Maiestatis Cęsareę stabilire, in cuius celsitudinis manus, et arbitrium

differentiarum suarum causas, per certos oratores suos, in pręsentiam et Aulam suæ celsitudinis, cum plenissimis eorum mandatis et facultatibus, sua sponte mutuiterque compromiserunt ac detulerunt, hortantes eius celsitudinem, vt earum differentiarum cognicionem sagaci, benignoque iudicio suo discuciat, componat et exequatur, quod Celsitudo Cęsarea grato in se suscepit animo, partemque differentiarum earum et dissenssionum de Regno Hungariæ habitarum, per se celsitudo Cęsarea pręsentibus eorum oratoribus, decreto suo mediante diffiniuit, voluntatemque suam declarauit, nec aliter fieri velle pronuntiauit, eo videlicet modo, vt Regnum Hungariæ, integre et ex toto, prout in confinibus suis late et longe existit, et quę partes huius Regni per Serenissimum Regem Ferdinandum fuissent occupatę, vt sint in dicionem, potestatem, inque manus Ioannis Regis, sine aliquo strepitu armorum, sed mere, et de plano concessę et demissę, finemque omnibus litibus, pro pręfato Regno imponendo, sic ipsa Cęsarea Celsitudo per se decreuit, Quam sentenciam Cęsareę suæ Maiestatis vtraque parcium oratoribus suis, ad hoc habitis et missis, grato animo suscepit, literasque Cęsareę Celsitudinis in eadem causa, latam, et descriptam sentenciam, ad suos Principes acceperunt, et in manus eorum detulerunt

Quarum literarum tenorem, vt percipitur ex literis Serenissimi Regis Ferdinandi, ad suam Cęsaream Celsitudinem nouiter per Nuntium suum Vespesianum de Zahara delatis, non bene Serenissimus Rex Ferdinandus percepit et intellexit, vel errore translatoris seu interpretis earum, quo forsan protunc Serenitas sua caruit, vel mala informacione oratorum suorum, quos hic ad audiendam et suscipiendam sentenciam miserat, collusa est, aliterque Celsitudini Cęsareę respondit, quam mens et voluntas erat suæ celsitudinis, atque sentencia descripta literis animum voluntatemque suæ celsitudinis declarabat, Scribit enim Serenissimus Rex Ferdinandus, velle parere sentenciæ Cęsareę Maiestatis ita, vt oratores sui sibi detulerunt, quemadmodum ipse literis suis affirmat, vt maneat circa illa dominia, et sit illis contentus, partem Regni Hungarię concernencia, quæ armis per eum parta, et conquisita sunt, quod nunquam erat, nec est, nec erit intencionis Cesareę Maiestatis

Itaque hunc errorem extirpandum ex animo Regis Ferdinandi mihi Cęsarea Maiestas commisit iniunxitque lacius mentem, literas, et sentenciam, per suam celsitudinem latam, super isto articulo Regni Hungariæ declarare, Quod si voluntati et sentencię seu decreto Cęsareę Maiestatis stare voluerit, declarationemque meam approbabit, ac plane suscipiet, reliquas differentias extantes componere, et complanare Cęsarea Maiestas inter ipsos dissidentes Reges mihi commisit, super quo, et oratores prędictorum Regum personaliter existentes, vnanimiter consenserunt, et compromisso, coram Celsitudine Cęsarea, in me facto firmauerunt

Cum autem ad hoc peruentum fuerit, vt conclusio de reliquis differentijs ferri, pronuntiarique debeat et finis litibus imponi, necessarium fore existimo, vt ambo Reges inter se nunc dissidentes conueniant, et quod per oratores fieri nequiuerat, vt est sępius tentatum, in pręsentia sua concludant, et fęderibus desuper habitis opportunis ac necessarijs confirment, ac ratificent, vt illa quę peragent, perpetua, atque inuiolata maneant

Sed quia iste congressus opportet, vt sit solennis, et ita etiam prospiciendum, et cauendum est, vt sit tranquillissimus, ac tutus, et ex omni parte omnibus euntibus et redeuntibus securus, Principis itaque mei personam primum magni ęstimo et me etiam Imperiali Maiestate in hac commissione prędituni minus ęstimare non ausim, itaque de loco, et modo, ac quiete Conuencionis huius cumprimis agendum erit

Et iste erit progressus, et conclusio, ad conficiendam hanc sanctam vnionem inter eos dissidentes Principes, si et inquantum decisionem, seu decretum inter eos promulgatum de Regno Hungarię, Rex Ferdinandus benigne acceptauerit, quod primum et principale est, vnde et pax fęderibus pręscripta Cęsareę Maiestatis cum Rege Ferdinando facile sequetur, ac inuiolata manebit, sin aliter, bellum certo cercius sperandum etc. etc. Et hęc sunt ex literis Ludouici Gritti excerpta

Et quamuis sciam vestram Sacram Maiestatem, pro sua summa, et incomparabili prudencia, rebus suis scire consultum iri, ipse tamen non in hoc scribo, vt consulam, sed vt fidem et obseruanciam eam, quę a me vestræ Sacræ Maiestati principi meo clementissimo debetur, declarem, mihi precium opere videretur, dignaretur vestra Sacra Maiestas rem tractatibus tantisper diferre, dum redux sit Imperator a perside, qui si victus redierit, credo, quod res vestræ Sacræ Maiestatis fęlicius agi possint, si victor, quod absit, extunc nihil ambigo Himbrahimum Bassam, qui solus omnium Barbarorum, ciuilior, et inusitata humanitate videtur esse prędituS, operam suam, iuxta promissa data, interpositurum esse, quod vestræ Sacræ Maiestatis negotia commodiore via, et cum dignitate vestrę Sacrę Maiestatis terminabuntur

Si quid autem ego in hoc mea, qualis qualis est, opera inseruire possem, facturus essem id tam diligenter, quam libenter si iusserit, suppliciter orans, vt hanc scripcionem meam boni ęquique consulere, in bonamque partem interpretari, et eo animo vt a me scripta sunt excipere, tum in hijs nihil aliud, quam fidem meam et animum bene cupientem agnoscere dignetur, hic animus sibi conscius est et testem habet deum, quod summis viribus meis inseruire vellem vestræ Sacræ Maiestati, quod si hic conatus meus parum eidem Sacrę Maiestati vestræ arriserit, saltem animum hunc obsequendi cupidum, quem et deus acceptat, gratiosius excipere dignetur, Hisce me vestrę Sacræ Regiæ Maiestatis gratiæ quam possum demisissime supplexque commendo, quam deus omnibus numeris sospitem et faustam ęternum tueatur Datum ex arce Chmyelnyk, in confinibus Thartaricis, feria quarta a ferijs Paschę, Anno domini M° D° xxxiiij°

E V Sacre .R. Magestatis

Humillimus Seruitor
Ioannes Comes in Tarnow
.R. palatinus

XXXI.

Gutachten Siegmunds Freiherrn von Herberstein über das vorstehende Schreiben.

Aus dem von Herberstein eigenhändig geschriebenen Originale im k. k. Haus-Archive.

Auff des graffn von Tarnow schreibñ mein guettbedunckhn in schrifft anzwtzaigñ Ob Jme darauff antburt geben werdn soll/Jst das mein vndertheniggist guettbedunckhn/

Nach dem auſs des Grittj schreibñ vernomen wirdt vast die maynung/ die in des Turkhn vnd Jbrajm bascha schreibeñ verstanden mag werdn/wie dan all widerwartig/laut vnd offnwar ausgeschrierñ Jst zw besorgñ/der misſverstand mochte also vorhanden sein/

Auſs dem besorg ich mer khriegs vnd vnwillens weder rue vnd frid

Zw dem So befind ich das Grittj auſs seinem beuelh So hoch gehaltn will werdn/des ich mir altzeyt zůuor gedacht/wo Er dan dermaſſen von E Rhu Mt sold gehaltn werdñ oder nicht Jst leicht zw ermeſſen was darauſs eruolgte/darumb ware besser der grittj khame nicht

Vnd in Summa nach meinem ainfaltigñ verstand So verhoff ich auſs des gritti ankhunfft vnd handlung E Mt nichts Erlichs noch nutzlichs

Aber des fridns oder anstands Jst E Mt gantz noturfftig Derhalbñ mit was mitl vnd weg der mocht Erhaltñ werdñ/oder doch also auffs lengst auffgetzogñ ware alles gewin

So acht ich den graffñ So vill ich Jn Erkhennt fur Tapfer vnd auffrecht/ vnd wollt nit wider ratñ das Er durch ain vertraute person ersuecht wurde auff maynung Sich in ain handlung einzwlaſſen Aber durch ain schreibñ ratt ich nicht zw antburtñ sonderlichn particulariter

Doch weill Cornelius an den ortn Jetzo ist vnd ich nit wais sein beuelh vnd handlung/ derhalbn mir nit muglich mit grundt zw rattñ/ob vber dieſelb handlung merere soll furgenomen werden

Sigmund von Herberstain frej

XXXII.

Nachschrift zu einem Schreiben des Hieronymus von Zara an König Ferdinand I.

Fiume, 11. April 1534.

Aus dem von Secretärshand geschriebenen und von Hieronymus von Zara unterzeichneten Originale im k. k. Haus-Archive. Äussere Aufschrift: Post Scripta. E. Ro. Mt ꝛc. zuuerleſen.

Aller durchleuchtigiſter groſsmachtigiſter Ro Rhonig aller genedigiſter her E Ro Rhu Mt ꝛc. sein mein schuldig phflichtig dienst mit hochster vntertanigiſter gehorsam zuvor genedigiſter khonig

Jn diser stunt vmb zbo vr nach mitag ist mier durch herñ Cornellium diser vnter seinen petschaft verschloſen puschen Brieff von Ragus zu rugkh zuegesendt Dieweill aber hie potten hart zu vberkhomen sein aus vrsach das sie der theutschen zungen nicht hawen bin

ich verrsacht sollich Brieff zu henden des herñ vizdomb in Cran zůschigkhen Dem hab ich geschriben das Er sollich E Khu Mt rc. mit dem furderlichisten bey eigen potten bey tag vnd nacht zueschigkhe

Ser Cornellius schreibt mier etlich new zeitung wie wol ich vngezbaifelt bin Er hab sollich neuzeitung E Khu Mt rc. vill pesser vnd clarer zuegeschriben hab denocht aus gueter vntertaniger mainung nicht vnterlasen wellen E Khu Mt rc. die schreiben so er mier gethan hierin verschlossen zue zu schigkhen daraus werden E Khu Mt rc. allen inhalt genedigkhlich vernemen rc. Als ich hienewen E Khu Mt rc. ander handlung halben geschriben ist dem nach an E Khu Mt rc. mein vntertanigst bitten mir gedachter handlung halben genedigist beschaidt gewen Der ich mich E Khu Mt als meinem aller genedigisten herñ in aller vntertanigkhait thue bevelhen Actum Sant Veit am phfflaumb am xj tag aprillis 1534 Jar rc.

Euer K° Khu Mt rc.

vntertanigister diener

Hyeronimus de Zara

XXXIII.

Beglaubigungsschreiben Desselben für seinen Sohn Vespasian an Denselben.

Fiume, 16. April 1534.

Aus dem Originale wie Nr. XXXII.

Sacro et Potentissimo Romanorum Hungarię et Bohemię Regi etc. Domino meo Clementissimo

Das Siegel ist abgefallen.

Sacratissimo et Potentissimo Re Signior mio Clementissimo

Questi proxime passati giorni, Da mio figliolo uespasiano ho receuute alcune letere de uostra Sacra Maesta al Signor Cornelio et a me directiue, nele quale uostra Regia Maesta graciosamente mi comettea che infalanter per li dicioto del instante mi douesse a Vienna ritrouare, al che io como el solito mio e sempre ancora che grauamente sia amalato obedientissimamente uolea obtemperare et gia mi mettea in ordine per partirme, quando che le presente letere del Signor Cornelio qual per mio figliolo mando a uostra Maesta de Rhagusi mi gionsero tra le quale era una directiua a me, la qual intesa considerai grandamente far de bisogno de mandar el ditto mio figliolo per posta ala Sacra Maesta uostra, atio quella tanto piu presto quelle noue che a me de gran pondo pareano intendesse, et massime che el scriue el gritti ancora de Constantinopoli non se hauer partito, et atioche io non desse tedio ala Maesta uostra con prolixo scriuere, ho informato el ditto mio figliolo del parer mio, qual lui humilissimamente a de referire a uostra Maesta Per tanto prego quella con ogni humilta che si degni graciosissimamente prestarli in tute cosse che lui per mio nome a uostra Maesta referira plenaria fede, et parendomi le noue del gritti alquanto uerissimile son restato qui, niente de meno in ordine per el

uiagio per fina ad altra comissione de uostra Maesta la quale quantosto me uenira saro subito preparatissimo a obedirla./

El simile lo ho informato circha li officij de sali legnami et uinodole et de Zuane Rizano, deli quali lui fara a uostra Maesta etiam plenaria relatione. Ala quale di continuo humillime me inclino et recomando como a mio Graciosissimo Re et signore./ Data in Fiume ali 16 de aprile 1534

De Vostra Sacra Regia Maesta

Deditissimo Seruitor

Hyeronimo de Zara

XXXIV.

Schreiben Vespasians von Zara an Denselben.

Guntersdorf, 25. April 1534.

Aus dem von Vespasian von Zara eigenhändig geschriebenen Originale im k. k. geh. Haus-Archive.

Sacratissime et Potentissime Romanorum Hungarię et Bohemię etc. Regię Maiestati Domino meo Clementissimo

Das Siegel ist abgefallen.

Sacratissimo et Potentissimo Re Signor mio Clementissimo

Hauendome io con ogni celerita conferitto con le letere et comissione de uostra Sacra Regia Maesta al mio Signor Padre a Fiume et metendosse lui gia in ordine per uenire a Vienna secondo era el uoler de uostra Sacra Maesta gionseno le qui alligatte letere del Signor Cornelio de Rhagusi trale quale vna ne era directiua al gia detto mio Signor Padre per la quale intendendo le noue qual iui esse si contineuano essere de grande importantia subito me expeditte per le poste a uostra Sacra Maesta et essendo gionto ogi dato la matina qui a gunderstorf al Clarissimo Signor Billhelmo de Rogendorff parsse a sua Clarissima Signoria attento che si preparaua con ogni presteza per conferirsse a uostra Maiesta che per respetto de chauali che non facilmente si ritrouano io uenesse con sua Signoria Clarissima et mandasse le letere inante a uostra Sacra Maesta il che essendo bono expediente o fato, et mando con ogni humile et debita reuerencia le qui alligatte letere del Signor Cornelio a uostra Sacra Maesta, et perche el Signor mio Padre me ha date letere de credenza solum a uostra Maesta et me ha informato del parer suo et altre cosse importante qual io humilmente ho de referire a uostra Sacra Maesta ho reseruate le ditte sue letere apresso de me per poter poi ala uenuta mia da poi presentate le letere fare del tuto bona relatione ala Sacra Maesta uostra ala quale de continuo genuflexo me inclino et humillime ricomando Data a gunderstorff ali 25 de aprile 1534

De uostra Sacra Regia Maesta

Deditissimo Seruitore

Vespasiano Gilio de Zara

XXXV.

Gutachten des Hieronymus von Zara über die türkischen Angelegenheiten.

Aus dem Originale im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Zu Nr. XXXIII und XXXIV. Auf der Rückseite steht von einer gleichzeitigen Hand der königlichen Kanzlei: Instruction Vespasianj de Zara. Turcha.

Aller durchleichtigister grossmechtigister kunig aller genedigister herr

Als mich .E. Ku Mt Jungst in der vasten Eilend zun meinen hern vattern gen Sandveit am phlaum zu reitten abgefertigt, solh raiss ich nun geendet, vnd meinem vattern der selben brieff geantwort, darinenn dan .E. Ku Mt gedachten meinen vattern gen wienn zu khomen Erfordert, solher Erforderung nach Ermelter mein vatter wiewol Er noch seer schwach, vnderthangist nach khomen vnd sich in Einer senfften gen wienn fueren lassen wellen, Inn dem sein die brieff van hern Cornelio herauff zun meins hern vattern handen khomen vnd Jme darneben geschriben worden das an den selben .E. Mt merklich vil gelegen, auch gedachter her Cornelio schreibt Er hab .E. Ku Mt geschriben meinen hern vattern oder mich nach Jme hinein zu schikhen, Darauff mich den merbestimbter mein her vatter, weil Er selbst so seer schwach, vnd villeicht .E. Ku Mt mich dahin zu brauchen notturfftig wurde vanstundan mitt solhen brieffen vnd einer Instruction wie es seines bedunkhen der Turkhischen handlung halb sten mag auch des salz vnd holz ambts vnd im weintall steet wie hernach artigkl weiss angezaigt ist, zu Eur Mt zu postiern abgefertigt Weliche brief hab ich der selben .E. Ku Mt vberantwurt vnd hierauff .E. Ku Mt weitters genedigisten beschaid gewartundt bin

Erstlich nach dem das her Cornelio schreibt das der Turkhisch khaiser vnd Aloisio Gritti noch zu Constantinopoli sein vnd das se weil der Imbrain Wascha mitt dem Sophy ein frid gemacht solt haben nindert hin verrukhen werden, auch der Warbarossa den neinten tag marcij Eilendts daselbst ankhumen vnd vanstundan in arsenall gegangen und in grosser Eill ein armada nemlich zwahundertt gallee zuerichten last vnd das Jme der Turkhisch khaiser zu einen Sanzagk zu Rodis gemacht hatt vnd das der Imbrain Wascha zu halep bliben ist, So ist meins hern vattern seinen besten verstand vnd getrewen phlichten nach Ratt vnd guott bedunkhen das auss der obgeschriben vrsachen nitt woll muglich sein khan das gedachter Imbrain Wascha Ein frid mitt dem Sophy gemacht hab sonder van mergemelten Sophy geschlagen als dan das geschrá gebesen ist, ader in grossen nótten gebracht worden, vnd das geschrá des frids die vnterthanen vnd vólkher in Natulia vnd Romania in guotter bestendikhaitt zu halten aussgeen lassen als se den varmals auch gethan haben vnd Jr brauch also ist, Vnd die weil Rodis gegen der Natulia vber vnd nitt weitt van Colfo dele giaze vnd das mór van Soria ader Alexandria ligt, darfan Halep auch nitt seer weitt im landt ligt, das der Turkhisch khaiser darumb den Warbarossa daselbst zun Einen Sanzagk gemacht hab das Er móg mitt der selbigen armada den Imbrahin Wascha rukhalten vnd in Einer nott hilff geben, vnd die vólkher daselbst in Soria nachdem se den Turkhen nitt gunstig sein vnd deshalben er sich eines auffruer besorgt vnterworffen vnd vnterthanig halten mug, vnd das

*

Er mitt der selben armada dits Jar auff den obgeschriben vrsachen in das khunigreich Neapolis ader anderswo wider der Romisch khaiserlicher Mt 2c. khein angriff thuonn werde, Das aber der Gritti zu Constantinopoli bliben ist das doch wider die zuesag vnd schreiben des Turkhischen khaiser vnd sein des Gritti selbst beschicht, khan gedachter mein her vatter nitt anders gedenkhen dan es geschech aufs treflicher grosser nott so dem Imbrain Wascha van Sophy zuegestanden mag sein vnd vermaint das gedachter Gritti .E. Ku Mt die vrsach aber ein Endtschuldigung warumb Er nitt khomen sey zueschreiben wirdett./

Weil aber der zuekhumfft des Gritti vberall aussbraitt ist worden vnd meniklich mitt grosser freidt vnd trost eins guotes frids sein zuekhumfft wartend ist gebesen vnd das nun der selbig zuekhumfft nitt geschicht das villeicht .E. Ku Mt in ein spott geschäzt ader sonst in ander weg schadenn möcht, so hatt mein her vatter in dem fal auch .E. Ku Mt als seinem aller genedigisten hern sein guott bedunkhen vnterthanigist vnangezaigt nit lassen mögen Nemlich das sich .E. Ku Mt merkhen liess als hett .E. Mt van gedachten Gritti Ein schreiben Empfangen darin Er sich gegen .E. Ku Mt seins aussbleiben halben Entschuldiget so mecht mittler zeit .E. Ku Mt als dan der Ser Cornelio schreibt Einen Eilends hinein gen Constantinopoli schikhen welicher van gedachten Gritti allen rechten beschaid vnd vrsachen seins aussbleibens auch sonst ander sachen Erfaret vnd sich widerumb in aller Eil zun E. Ku Mt verfieget, Darauff hatt mich mein her vatter in Eil auff der post zun .E. Ku Mt zuegeschikht als da wil ich .E. Ku Mt genedigisten beschaid Erwarten vnd vberal dahin mich .E. Ku Mt gebrauchen will vnterthanigist mitt aller gehorsam vnd guotten vleiss vngespart leib vnd leben Erscheinen./.

Auch als .E. Ku Mt varmals dem Petter Krusiz zwen befelich das Er wider die Turkhen nichts handlen sole noch hinein auff raub raisen lasse sonder was er genomen hatt Jnen wider zuestellen zuegeschikht vnd die Copeien der obgenanten befelich sambt Einer Copej Eins befelichs so .E. Ku Mt hern Petter Kegleuiz hatt schreiben lassen meinem hern vattern im Ein brieff verschlossen geschikht vnd Jme befolhen Er solle die selben Copeien in sirfischer schprach transferiern lassen vnd die translationes dem Wascha van Wossen vnd den Turkhischen haupleiten auff den grenizen zueschikhen vnd Jnen darneben schreiben wass .E. Ku Mt virnemen vnd willen sey wider die Jenigen .E. Mt vnderthanen so in dem frid das .E. Ku Mt mitt den Turckischen khaiser hatt gemacht eingriffen haben zu handlen, Den selben .E. Ku Mt befelich hatt gedachter mein her vatter mitt allen vleiss vnd gehorsam volpracht vnd volzogen./

Nun wie wol Eur Ku Mt befelich auff dem Petter Krusiz Ernstlich vnd genuegsamlich hafftig sein gebesen, so last doch obgenannter Krusiz noch virundan vnangesehen gedachter Eur Ku Mt befelich hinein in die Turkhej schträffen vnd rauben vnd die peigk in weintall so neulich graff Stefan van Frangepan .E. Mt Entzogen hatt viern vnd daselbst verkauffen last, dardurch die Turkhen geursacht sein des gleichen in .E. Ku Mt grenizen zu thuon vnd die armen vnderthanen zu blagen vnd hinbekh viern vnd villeicht darauss ein zerrittung in frid vnd noch gresser schaden Eur Ku Mt Endtspringen möcht, Das hatt auch mein her vatter vnterthanigist Eur Ku Mt vnangezaigt nitt lassen wellen./.

Vnd weil Er waiss das .E. Ku Mt wilens ist den frid bestandiklich zu halten vnd wider den selben in khein weg handlen noch angriff zu thuon zuelassen ader gestaten wil sonder die vngehorsamen schtraffen, vnd sich Petter Krusiz der massen vngehorsam merkhen hatt lassen, wan .E. Ku Mt wilens wer wider genanten Krusiz vnd alle ander vngehorsamen mitt geburlicher schtraff zu handlen vnd se in henden zu haben, so ist meins hern vattern Rait das .E. Ku Mt den haubtman van Mitterwurg Alexien Moscon vnd den Jacob Raunecher vnd dem haubtman van Zeng Erasm scheirer vnd Im befelich thet die selbigen vngehorsamen wo si betreten werden gefenklich anzůnemen vnd se bis auff verern .E. Ku Mt beschaid zu halten, so wurd an zweifl genanter Krusiz auss Eur Ku Mt henden nitt Endtgen megen dan Er hatt in Istria das schloss mornfels inen darin sich all sein hauss gessindt auffhielt vnd offt er darzue ziehen muess das er ausserhalb die Inhalt der haubtlewten darzue nitt khomen mag Des gleichen alle ander vngehorsamen auffgefangen werden./.

Vnd wiewol .E. Ku Mt dem hern Petter Kegleuiz offt befolhen hatt mitt ganzen vleiss Einsehung zu thuon vnd kheinem gestaten weitter hinein zu straiffen vnd rauben so ist doch mein her vatter durch ein ansehliche vnd glaubwirdige persan bericht worden das gemelter Kegleuiz zun Wascha van Wossen Einenn geschikht hatt vnd Ime Enpoten ob Er den frid halten well so lass er ims wissen wo aber nitt so wiss er sich auch darnach zu richten vnd biss Jez khan man khein wendung spirn das Er gethan hatt den Etlich Crawaten die vmb die granizen ligen noch virundan hinein ziehen vnd rauben Dem allen waiss .E. Ku Mt woll virzůkhumen vnd darin Einsehung thuonn damit durch solhs .E. Ku Mt nitt weitter nachtaill Empfah vnd van widertaill vrsach zu der gegen handlung vnd prechung des friden genomen werde Doch weil mein her vatter des getrewes gemiets gegen .E. Ku Mt als seinen aller genedigisten hern ist, das er nichts leiden ader verschweigen mag was Er sicht das wider E. Ku Mt Er vnd Nuz gehandelt wirt, vnd Er doch alle des gleichen sachen die im wissendt werden .E. Ku Mt nitt verhalten wurdet, so bitt Er mitt aller vnterthaniger gehorsam .E. Ku Mt das .E. Mt genedigist gedacht sein well solh sein getrew vnd gehaimb anzaigen der massen anzenemen damit es Ime nicht zu nachtaill eröffenndt werde wan Im nun Etlich mall sachen die Er .E. Ku Mt in der gehaimb zuegeschriben hatt durch ander lewt virgehalten worden, Das ist was Er mir .E. Ku Mt van den Turkhischen sachen halben zu berichten befolhen hatt Darauf ich van .E. Ku Mt genedigistens beschaids gewartundt bin./.

Weinthall Sachen

Wie wol mein her vatter nun Etlich mall .E. Ku Mt des weintals halben bericht hatt das nun .E. Mt wie alle sachen darinen sten woll wissend ist, so hatt er Jez nitt vnterlassen megen E. Ku Mt der merklichen notturft nach anzůzaygen das .E. Ku Mt in der Salz vnd holz handlung durch die widerwertikheitt des weintals daselbst vil verhindert und gemindert Auch vil ander böser practikhen dardurch gefiert werden, Dan so hatt gedachter mein her vatter .E. Ku Mt mermals angezaigt vnd geschriben das grosslich van nötten das weintall widerumb in Eur Ku Mt henden zůbringen damit andere Slesser als Bagkher vnd Ter=

sat nitt durch practikhen so graff steffan lewt vnd verwalter an vnterlass Jeben auch in geuerlickhait vnd verlust gestelt werden Vnd sonderlich zaigt mein her vatter an das van nótten sey im ein zwanzig persan zu behuett angezaigts Slos Wagkher zůuerordnen, Sodan her hans pichler Jme mer mals geschriben das gros van nótten wár das Ermelts weintals halber durch E. Ku Mt notturfftig Insehung gethan, vnd sonderlich derhalben Einer landtschafft in Crain vnd Jme befelich gethan wurde wie .E. Ku Mt auss beigelegten sein schreiben zu vernemen hatt, So ist an .E. Ku Mt der hohen notturfft nach an statt meins hern vattern mein vnterthanigist vermenung .E. Mt well derhalben Ermelter landtschafft vnd den pichler notturfftig befelich than vnd hierin wol bedenkhen vnd erwegen wo .E. Mt das weintall nitt in den henden hatt wass .E. Ku Mt vnd der selbigen landt vnd leuten sonderlich der artflegkhen halben als zeng vnd sant veit am pflaumb vnd andere flekhen daran gelegen vnd die selbigen zu sambt den landen in geuerlikhait gestelt sein, dan die weil das weintall zwischen Ermelter zweien flekhen sandt veitt am phlaumb vnd zeng ligt so mag Jnen die praffandt so auss Crawaten khumbt abgestrigkt vnd in grossen nachtaill als nun ankhebt ist gebracht werden Vnd solh eroberung des weintals mag mitt ein khlein geschuz vnd volkh wie Es dan her hans pichler vnd die landtschafft in khrein wol zu bedenkhen wissen volpracht vnd zu grossen .E. Ku Mt vnd derselben landt vnd leuten nuz zehenden khomen./.

Verer last mein her vatter der merklichen notturft nach .E. Ku Mt anzaigen das der phleger zun tersat hanss Rizan vber .E. Ku Mt öffter aussgangen Ernstlich befelich das slos tersat nitt abgetreten sonder daselb wider alle billikhait vnd mitt gewalt .E. Ku Mt so er des doch gar khein fueg ader vrsach hatt varhalt vnd gebraucht sich daneben vil gewalts als das Er die Jurisdiction so an mittl zu der haubtmanschafft zu sand veitt am phlaumb gehort Jm selbst gen tersat zueaignen will, Darzue thuet Er nitt wenig des graff stefans van frangepan dienern nachsehen vnd gestaten das sy Jrs gefallens van 20 bis in die dreissig persanen bis an die stattmaur zu sandt veit am phlaumb vngewarntner vnd vnangezaigter sach meins hern vattern ader der statt zegeen, Darzue er zu dem Crusiz geschikht vnd solicitiertt vmb einfall gegen den turkhen Welhes alles nitt wenig geferlikhait auff Jme hatt Vnd so das .E. Ku Mt wissen tragt auss wass beweglikhait vnd vrsach das Slos tersat zu der haubtmanschafft zu sandt veit am phlaumb Eingeleibt werden soll Jst an .E. Ku Mt mein vnterthainigist bitt well in dem allen der merklichen notturfft nach genedigist verordnung vnd Jnsehung thuen sonderlich damitt durch den Ritschan vber so vill .E. Mt befelich nitt der massen vngehorsamlich gehandlt werde wie .E. Ku Mt genedigist ze thuen waiss Der ich mich mitt aller vnterthanigister gehorsam befilh rc.

Eur Ku Mt

vnterthanigister gehorsamer Diener

Vespasianus Gilius de Zara

XXXVI.

Beglaubigungsschreiben Sultan Suleimans I. für Cornelius Duplicius Schepper an König Ferdinand I.

Konstantinopel, (in der Zeit vom 3.—10. Juni) 1534.

Aus der Abschrift einer gleichzeitigen Übersetzung im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Antwort auf Nr. XXI. Die mit Cursivlettern gedruckte Anmerkung ist von der Hand Johann May's.

Tu che tu sei el piu grando de li Signori de tutta alemagna Re Ferdinando Al pręsente ala porta mia altissima et general porta tu hai mandato vn tuo fidel homo, El qual si chiama Cornelio sufficiente et fidelissimo fatto certo vostro ambassador con quello hauete mandato vna litera, Quel che hauete dito in quella litera lhan fatto intendere ala mia Magnifica pręsentia tanto bene che ho inteso bene ogni cosa, In questo da la parte de la mia altissima porta quella resposta che se douea dar e sta ordinata al supradicto vostro homo, Et anchora el vostro supradetto homo dapoi che e stado ordinato tutto de la imbassaria e che lha fatto el debito suo lho dato la mia magnanima licentia e vn altra volta e sta remandato in queste bande et con laiuto de dio iungendo la et retrouandose tutto quel che e stato tractato qui el vi lo dira et lintenderete, Et cosi sapiate, Scritta al mese de Silcader del anno de 940, data in la citad de Constantinopoli,

Die vj Decembris ex commissione Maiestatis regie etc. dedi D. Leonardo Interpreti Turcico literas originales Turcicas tenoris suprascripti ad effectum vt ex eis disceret et continuaret linguam Turcicam 1534

XXXVII.

Schreiben Ludwig Gritti's an Denselben.

Konstantinopel, 17. Juni 1534.

Aus einer von König Ferdinand I. am 29. Juli 1534 dem obersten Kanzler, Bernhard von Cles, zugesandten Abschrift im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.

Serenissime Princeps et Domine Domine clementissime, Posteaquam Dominus Cornelius Orator vestre Regię Maiestatis hinc discesserat allatum est ex Hungaria ad hanc excelsam Cesareę Maiestatis aulam quosdam Hungaros qui erant in parte Serenissimi Principis et Domini mei Regie Maiestatis Hungarie defecisse ad vestram Regiam Maiestatem per tempus induciarum in quibus diserte cautum est ne cuiquam Principi liceat tempore induciarum quemquam transfugam recipere, Quapropter hec violatio induciarum pręsertim cum Orator vestre regię Maiestatis hic existeret tum a Cesarea Maiestate tum ab Illustrissimis Bassis iniquo animo accepta est, Et proinde cupio intelligere si vestra Regia Maiestas ad istam culpam suum consensum prebuit et voluntatem, Siquidem constitui

cum Deo adiuuante venero in Hungariam non sinere vt huiusmodi defectiones cuiquam pręcipue Francisco Bebeck qui neutri parti fidelis fuit impune sint, Vestram autem Regiam Maiestatem et hortor et rogo vt potius animum adijciat ad confirmandam et stabiliendam pacem quam perturbandam atque dissoluendam, Nunquam deerit occasio gerendi belli, pax autem semper haberi non poterit, Consyderet etiam vestra Regia Maiestas dubios bellorum euentus et totum Orbem Christianum ex eiusmodi discordijs in manifestum periculum vocari, Vtcunque autem decreuerit vestra Maiestas regia dignetur tamen mihi significare in quam partem accipiet, quod ego constitui Franciscum Bebeck omnino castigare perfidieque penas ab eo exigere, Ex propinquo pluribus agam cum vestra regia Maiestate cras enim Deo adiuuante me hinc mouere incipiam, Commendo me gratie vestre regie Maiestatis, Datum Constantinopoli die 17 Iunij anno Domini 1534

Eiusdem Regie Maiestatis vestre

Seruitor Ludouicus Griti
Regni Hungarie Gubernator etc.

XXXVIII.

Schreiben Cornelius Duplicius Schepper's an Denselben.

Presburg, 15. Juli 1534.

Aus dem von Schepper eigenhändig geschriebenen Originale im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Auf der Adresse steht von der Hand Johann May's: Cornelius 1534 25 Iulij Pragę.

Sacrę Regię Maiestati Rhomanorum Hungarię Bohemię etc. Domino Clęmentissimo

Serenissime et potentissime Rex Domine Clęmentissime./.

Non possum exprimere quantum molestiarum exhauserim Bellogradi vbi septem diebus substiti, dissimulatione Thurcarum apud quos nulla fides, nullum iusiurandum in precio. Neque puto vnquam inde rediissem nisi ingenio et industria Hieronymi de Lasko, qui me inde eripuit et per Hungariam terrestri itinere duxit. Veni autem heri sub noctem Posonium, sed ita male valens vt illum vltimum diem mihi fore sim arbitratus neque poteram curru neque equo insedisse. Natura autem mea magis mihi, quam industria profuit ad valetudinem. Ipsa enim pepulit id vnde suspicabar. Iamque deo gratia melius me habeo et cras Viennę fore spero, inde nihil obmissurus temporis donec ad Maiestatem vestram peruenero. Classis Thurcarum quę Bellogradi apparari, vltimis meis à me scripta est et visa, intra mensem forte erit Budę. Mens Thurcarum est destruere Beybegk Hungarum ad requisitionem Vayuodę et Lasky. Cui Beybegk si Maiestas vestra auxilio esse vult, minatur Griti, se accepturum Cibinum Transyluanię à Maiestate vestra. In summa cum sperem breui apud Maiestatem vestram fore non obstante valetudine mea, eam precor humillime vt breuitati meę ignoscat, eamque condonet huius corpo-

ris debilitati. Quam diu sanam conseruet Christus. Ex Posonio die xv° Iulii Anno domini M D xxx iiij°

Eiusdem Regię Maiestatis vestrę

Humillimus Inseruitor

Cornelius Scepperus

XXXIX.

Schreiben König Ferdinands I. an seinen obersten Kanzler, Bernhard von Cles, Fürstbischof von Trient.

Prag, 16. Juli 1534.

Aus dem von Johann May geschriebenen und von König Ferdinand I. unterzeichneten Originale im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.

Reuerendissimo in Christo Patri Domino Bernardo tituli Sancti Stefani in Monte Celio Sanctę Romanę Ecclesię presbytero Cardinali et Episcopo Tridentino Secreti Consilij nostri Præsidenti Supremo Cancellario et amico nostro charissimo/

Ad manus proprias Cito Cito

Das Siegel wie es zu dem in dieser Sammlung (GESANDTSCHAFT KÖNIG FERDINANDS I. AN SULTAN SULEIMAN I. 1530. *S.* 97) *mitgetheilten Schreiben König Ferdinands I. an Kaiser Karl V. beschrieben ist.*

Ferdinandvs Diuina fauente clementia Romanorum Rex semper Augustus ac Germaniæ Hungarię Bohemię etc. Rex, Infans Hispaniarum, Archidux Austrię etc. Reuerendissimo in Christo Patri Domino Bernardo tituli Sancti Stephani in Monte Celio Sanctę Romanę Ecclesię presbytero Cardinali et Episcopo Tridentino Secreti Consilij nostri Præsidenti Supremo Cancellario et amico nostro charissimo Salutem et beneuolentię nostrę affectum. Reuerendissime in Christo Pater, Amice charissime. Peruenerunt ad nos literę Cornelij Duplitij Sceperi Oratoris nostri alterę Constantinopoli de secunda Iunij alterę vero Belgradi de xxx^a eiusdem Iunij datæ, quibus intelleximus eum ad Nos redire, et Grittum quoque in itinere esse, secumque gentes aliquas tam equestres quam pedestres ducere, ac negotia ferme in eodem statu esse quo prius erant. Cumque ex alijs literis, quas Dominatio vestra Reuerendissima sub suo fasciculo ad nos misit videlicet ex Turzonis ad nos datis et adiunctis Comitis de Nogarolis ad Dominationem vestram Reuerendissimam scriptis quas ad Nos pertinere credentes aperuimus et legimus, idem quoque de Cornelij reditu et Griti aduentu nobis significatum fuerit, quodque ipse Cornelius octaua huius mensis Iulij cum Lasco ex Constantinopoli Budam applicuerit, eumque apud nos intra biduum aut triduum fore putemus, vestręque Dominationi Reuerendissimę peroptime constet, quam grauia et ardua negotia ista sint futura, quamque maturo et bono consilio deliberanda, Idcirco Dominationem vestram Reuerendissimam summo studio et affectu hortamur, et rogamus etiam, vt in tanta rerum præsentium mole paulisper adhuc subleuanda Nos et Dei et nostri atque totius Reipublicę Christianę intuitu et amore ne-

quaquam derelinquere, sed Lintij subsistere et expectare velit, vt exinde per aquam descendere et Nos hinc (quod quantotius fieri curabimus et accelerabimus) Viennam ire valeamus, Nulla enim vnquam tam magna et grauia negotia nobis et Christianitati incubuisse videmus, eoque magis ob id expedit et oportet saniora et fidelia consilia adhiberi, ac homines industrios probos et linguę Italicę expertos, vt omnia tanto commodius et fidelius hinc inde tractari valeant. Prouidebimus autem indubie Dominationi vestrę Reuerendissimę de intertentione sibi necessaria idque eo modo ne Dominatio vestra Reuerendissima aliquod incommodum propterea subire habeat, Quę poterit etiam equos grauiores Lintij dimittere, et cum Comitiua expeditiori (sicut ei videbitur) ad nos ire, vt vbique maiori commoditate esse et stare possit, Negotijs vero istis expeditis Dominationem vestram Reuerendissimam libere ad sua redire sinemus, absque aliqua contradictione vel exceptione vlteriori. Quod ei certum et indubitatum esse volumus. Eamque ideo denuo adhortamur, vt et nostri publicique commodi respectu nobis in hoc deesse aut nos deserere nolit, sed in hanc petitionem nostram (sicut firmiter et plane nobis persuasum habemus) omnino consentire velit, vt si vnquam de nobis et Christianitate benemeruit (vt certe multifariam et cum perpetua sui laude fecit) in ijs etiam maxime quando res in cardine versatur bonum finem nobiscum facere ne recuset, In quo certe nobis rem adeo gratam ac inprimis Deo nostro placitam ac Christianitati proficuam et necessariam faciet, vt vix aliam nobis gratiorem hoc tempore facere possit, quam cum sciamus illi grauissimam fore, nos eo magis per hoc sibi si fecerit, deuinciet, idque omni beneuolentia et liberalitate nostra Regia erga eandem Dominationem vestram Reuerendissimam promerebimur. Quę felicissime valeat. Datum in arce nostra Regia Pragensi, Die xvj Iulij. Anno Domini M° D xxxiiij Regnorum nostrorum Romani quarto aliorum vero octauo./

